



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio IV. De divinitate Spiritus sancti, & unitate Dei in trinitate personarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

bet ille, qui dicit: *Omnia, que habet Pater, mea sunt. Equalis est igitur.*

Superius eod. cap. dixerat: *Sed habet, inquis, Dei Filius auctorem Patrem. Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicit auctorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto, fateor & concedo. Si autem per nomen Auctoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem substantia Filium, cuius est Pater, detestabor & respuam... Vivam Filius, inquis, accepit. Accepit sicut genitus à genente. Omnia, inquit, que habet Pater, mea sunt. Omnia ergo, que habet Pater, dedit ille gignendo, accepit iste nascendo; nec dando ille amisit, quod habuit: nec iste, cum esset & non haberet, accepit: sed sicut ille permansit habens omnia, cum ea, que habet, Filio dederit omnia: sic iste nunquam fuit sine omnibus, que non egendo, sed nascendo accepit ut Filius: quia nunquam potuit esse non natus, & ea, sine quibus non est natus, & est immutabilis natus, semper habuit, quia semper est natus.*

Dato igitur, quod Pater, quia pater, hoc est, quia ingenuus genitor, Filio quadantenus emineat notionaliter, atque ita Filius, quia filius, quadantenus Patri subjectus sit; hæc subjectio nullam planè dicit imperfectionem, sive positivam, sive negativam, in Filio; quia, ea non obstante, in essentialibus, imò simpliciter, Patri perfectè æqualis est: habet enim omnia essentialia, quæ habet Pater; & habet, quia accepit, non egendo, sed nascendo; & semper habuit, quia semper natus est; & semper habuit immutabiliter, quia semper natus est immutabilis; & semper habuit summa necessitate, quia semper summa necessitate natus est. Semper igitur Filius immutabiliter & summa necessitate habuit omnia essentialia, quæ habet Pater, quia ab eo semper immutabiliter, & summa necessitate accepit, ut genitus à genitore. Sic autem accepisse, nullam dicit indigentiam in eo, qui accepit, quia nunquam fuit & non habuit, & ita nunquam fuit & eguit: unde dedisse sic accipienti, non est, inopi subvenisse, sed non egentem genuisse: nec dedisse sic accipienti, magis beatum est & perfectum, quam sic accepisse; quam ob rem in Deo non magis beatum est, esse Patrem, quam esse Filium: unde in Deo vel Filius nullam subjectionem habet ad Patrem; vel si quam habere potest dici, non est nisi latè & improprie subjectio: non enim est subjectio minoris ad majorem, vel inferioris ad superiorem, sed æqualis ad æqualem, quorum hic alterius principium est: non est subjectio necessitatis, sed voluntaria & pietatis, quatenus pius est unum alteri deferre, tanquam principio sui esse; quamvis illud esse absque omni indigentia, ac proprie dicta dependentia ab eo accepit. Unde qui dedit esse, nullum proprie jus habet in eum, qui accepit, nec nisi volenti præcipere, & volentem mittere potest. Totam hanc doctrinam paucis comprehendit Hilarius, cum ait, Patrem, quia Pater est, majorem esse; Filium verò minorem non esse, quia Filius est.

Porro quæ hoc articulo dicta sunt hæcenus, nempe non videt plurimum valere ad confirmandam Scripturam Ecclesiasticorum, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis floruerunt, & quos articulo superiore defendimus, orthodoxiam circa Verbi divinitatem. Et enim si post exortam Arianam hæresim, inter orthodoxos Ecclesiæ doctores tot fuerunt, qui Patrem, quia Patrem, Filio majorem dixerint, licet Filium unius substantiæ & deitatis cum Patre crederent, & contra Arianos acerrimè defenderent; quis mirabitur alios, nondum exorta Ariana hæresis, securius scribentes, Patri, quia Patri, supra Filium eminentiam quandam & auctoritatem attribuisse, eamque interdum duribus verbis expressisse? Aut quis propterea eos meritò vel suspicabitur, Filium alterius substantiæ à Patre, & inferioris naturæ credidisse, & docuisse? Itaque pro certo statuamus, eos de Filio sensitse, quod alii postea senserunt, Filium scilicet substantiæ, maiestate, gloria, & deitate parem Patri, sed notionali excellentia imparem; quam inæqualitatem si quando vi-

dentur exaggerasse, verba eorum benigna interpretatione corrigenda sunt, non eorum fides culpanda est. Certè non aliud de Filio senserunt, quam quod sentiebat Ecclesia, in cuius gremio defuncti sunt. Quid autem Ecclesia tribus prioribus sæculis de Verbo Dei Filio senserit, evidenter demonstratur argumento præscriptionis ex iis quæ initio quarti sæculi circa Arianam hæresim contigerunt, & ex quibus

Sic argumentari licet, Ecclesia initio quarti sæculi damnavit, & dixit devovit Arium, asserentem Verbum esse creaturam; Verbum non exitisse ab æterno, sed fuisse tempus, non quidem reale, sed imaginarium, quando non erat; Verbum non de substantia Patris genitum esse, sed de non extrantibus factum, adeoque Filium Dei non esse verè & proprie, sed improprie tantum & nuncupative. Ergo initio quarti sæculi Ecclesiæ fides erat, quod Verbum non esset creatura, sed verus Deus; quod exitisset ab æterno, & ante omne tempus, sive reale, sive imaginarium; quod non factum esset de non extrantibus, sed de Patris substantia genitum esset; quod esset verus & genuinus Patris factus, adeoque verè ac proprie Filius Dei: uno verbo quod esset unius & ejusdem substantiæ cum Patre, ac proinde unus cum Patre verus Deus, æternus, immensus, omnipotens, &c. Ergo hanc eandem de Verbo, quam in Nicæno Symbolo expressit, fidem habuit Ecclesia tribus prioribus sæculis: alioquin ostendatur, quando aliam habuerit; quando idem senserit, quod postea sensit & docuit Arius; quando, in qua mundi parte, quod auctore hæc in Ecclesiæ doctrina mutatio cæperit; quæ jurgia, & quas contentiones excitarit; quibus promotoribus totum orbem inyasit, & omnes Ecclesias particulares corruerit; quos adversarios experta sit. Quod enim talis in re tanti momenti mutatio incerto tempore, generali Episcoporum & doctorum omnium conjuratione tacita vel expressa, ubique simul facta sit; aut quod ab una particulari Ecclesia sensim ad alias omnes propagata sit, nullo adverte, aut reclamante, asserere summæ insanie est, atque dementiæ. Præterea, evidenter repugnat experientiæ, & promissionibus à Christo factis Ecclesiæ.

DISPUTATIO IV.

De Divinitate Spiritus sancti, & unitate Dei in trinitate personarum.

ARTICULUS I.

Quinam malè senserint de Divinitate Spiritus sancti.

§. I.

Primus de Spiritu sancto, quod constet, malè sensit Origenes, qui infra Patrem Filium, infra Filium Spiritum sanctum constatuebat, sicut & infra Spiritum sanctum Angelos, & infra Angelos homines. Unde juxta doctrinam Origenis, inter substantias intellectuales primum & supremum locum tenet Pater, qui, cum solus sit ingenuus, solus verus Deus est; secundum Filium, ut rerum omnium à Patre conditarum excellentissima; tertium Spiritus sanctus, ut creatura Filii perfectione proximior; quartum Angeli; quintum & infimum obtinent homines. Quare docebat idem Origenes, Angelos ab hominibus, ab Angelis Spiritum sanctum, à Spiritu sancto Filium, à Filio Patrem, maximum & supremum Deum, videri non posse, ut refert S. Epiphanius her. 64. num. 4. & S. Hieronymus epist. 61. ad Rammachium.

Epist. 59. ad Avitum his verbis doctrinam Origenis exposuerat: *Tertium dignitate & honore post Patrem & Filium asserit Spiritum sanctum. De quo cum ignorare se dicat, utrum factus sit, an infectus, in postero*

riori

rioribus, quid de eo sentiret, expressit, nihil absque solo Patre infectum esse confirmans. Filium quoque minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit; & Spiritum sanctum inferiorem Filio in sanctis quibusque versari. Atque hoc ordine majorem Patris fortitudinem esse, quam Filii & Spiritus sancti: & consequenter ipsius sancti Spiritus majorem esse virtutem ceteris, quae sancta dicuntur. Haec autem omnia ex libro primo *de opibus* deprompserat S. Hieronymus, qui sub finem laudatae epistolae, de eodem Origene haec adhuc scribit: *In alio loco Filium & Spiritum sanctum non vult de Patris esse substantia, ne divinitatem in partes secare videatur.* Ante S. Hieronymum S. Basilius lib. de Spiritu sancto c. 29. scripserat Origenem de Spiritu sancto non sana ab omni parte dogmata tueri.

Potro opera Origenis ab haereticis interpolata fuisse conquesti sunt Origenista, & nominatim Ruffinus; sed potius credendum est Epiphano, Hieronymo, aliisque Patribus, qui libros Origenis triverunt, legeruntque diligentissimè, & eum de sanctissima Trinitate malè scripsisse, memoria prodiderunt; potius, inquam, illis credendum est, quam divinantem Ruffino, homini minimi pretii. Adde quod non solum Eusebius Caesariensis, qui erroribus Origenis circa divinitatem Trinitatem infici se passus est, sed etiam Didymus Alexandrinus, qui & de Divinitate Spiritus sancti catholice sensit, & in Origenem propensissimus fuit, ingenue fassus sit eum ita scripsisse, & solum conatus sit in bono & catholico sensu interpretari, ut testatur S. Hieronymus epist. 55. ad Pammachium & Oceanum. Denique si Origenes sic divinando excusari potest impunè, hac defensionis perturbatione, ut ait S. Hieronymus apol. 2. nec Marcion, nec Manicheus, nec Arius, nec Eunomius accusari poterunt; quia quidquid nos ab his impie dictum objecerimus, discipuli respondebunt, non a magistris suis ita esse editum, sed ab inimicis esse violatum.

S. II.

Dionysius Alexandrinus Spiritum sanctum non Deum, sed creaturam asseruit, si Basilio credimus. Nam de Dionysio sic loquitur epist. 41. De Spiritu sancto voces edidit, quae nulla prorsus sui parte competunt sancto Spiritui, divinare illi atque adorandam adimens majestatem, & eundem ad haec inferiora devexim creatam adnumerans ac servili naturae. Idem illum de Filio sensit scribit ead. epist. Is Dionysius, inquit, quod unum expetebat, nempe expugnare Sabellianum dogma, perspicue admodum obtinuit, sed ex superfluo: nam non solum diversitatem hypostasum, hoc est, personarum, sed & usum, hoc est, essentiae differentiam constituit, potentiam Filii imminuit, & ipsius gloriam immutat, ac majestatem. Hinc adeo contigit, ut malum permutarit malo, atque aberrarit à scopo rectissime & sincerioris doctrinae. Quo factum est, ut varius sit deprehensus, & inconstans in conscriptionibus suis. Et quidem tollit nunc omouisionem, per ea quibus in recta constitutione hypostasum, hoc est, personarum minus rectè usus est; nunc contra admittit, dum respondet Hieronymo.

Sic autem ibidem Dionysium excusat Basilius: *Causam vero hujus non puto animi malitiam esse, sed quod vehementer cupit obliuari Sabellio. Soleo itaque illum similem estimare plantatori cupiam, qui recentis plantae correcturus aversonem, ita immoderatè illam retorquet, ut à medio aberret, & ad contrarium latus ramulum abducit. Tale quid & ab hoc viro factum deprehendimus. Hic nempe dum impietati Libyanae se opponit acriore impetu, minus prudenter sibi prospiciens, in malum huic oppositum praecipit abiit, & quidem nimio contendendi studio.*

Ad haec respondeo, Basilius, cum hanc epistolam scriberet, non habuisse praemanibus Apologeticum, à Dionysio conscriptum, & in libros tres divitum, ut Basilius ipse ibidem testatur. *Quae de rebus Dionysii, inquit, sciscitatis, venerunt quidem ad nos admodum illius multa: libri vero nondum adsumt: atque ideo nihil dum misimus.* Quare mirum videri non de-

bet, quod Basilius Dionysii mentem & doctrinam eatenus non poruerit perspectam satis habere, atque ita perperam crediderit & scripserit Dionysium malè de Filii & Spiritus sancti divinitate sensit & scripsisse.

Itaque cum sancto Athanasio, qui apud se habuit etiam libros Apologeticos, à Dionysio conscriptos, cuique adeo melius nota & perspecta fuit mens & doctrina Dionysii, dicimus Dionysium immeritò accusari violatae divinitatis Filii & Spiritus sancti, eumque catholicè sensit & scripsisse de Divinitate utriusque. Quod Athanasius in epistola de sententia Dionysii demonstrat, ex ipsis Dionysii verbis, ex ejus Apologetico depromptis, quamvis fusè quidem de Filii, & obiter tantum de Spiritus sancti divinitate id demonstrat, quia scribit contra Arianos, qui tunc temporis solam Filii divinitatem aperitè impugnabant. In laudata autem epistola accuratè ostendit ex verbis ipsius Dionysii, illum sensit & docuisse Verbum esse Patri coaeternum, verum & genuinum Patris foetum, verè genitum, non factum, & unius ac ejusdem substantiae eum Patre. Unde jam habemus Dionysium immeritò à Basilio acculatum *imminuta potentia Filii, & ipsius gloria, ac majestatis immutate.*

Præterea, quod S. Basilius etiam immeritò insimularit S. Dionysium *adempte Spiritu sancto divina & adoranda majestatis, & Spiritu sancti ad inferiora devexi, atque creatae ac servili naturae adnumerati,* evidenter ostendimus ex ipsius Dionysii verbis apud S. Athanasium epist. laudata. Sic igitur in secundo apologiae suae volumine contra delatores suos loquebatur Dionysius: *Singula illa nomina de quibus locutus sum, in segregabilia à se invicem sunt, nec dividi queunt. Patrem cum dico, etiam sine mentione Filii, Filium sub Patris vocabulo indicatum volui. Contra si in mentione Filii Patrem omissem, tamen ille sub nomine Filii praetelligi debuit, Sancti Spiritus mentionem feci, sed ita ut pariter adjungerem, undenam ille, & per quem venerit: sed isti ignorant Patrem à Filio alienari non posse, & sub Patris vocabulo primum conjunctionis authorem contineri, & Filium à Patre quasi domicilio disgregatum non esse, eo quod Patris vocabulum hanc communionem indicet, & in Patris Filiique manibus esse Spiritum sanctum, sed ita ut neque à mittente, neque à ferente segregetur. Qui fieri igitur possent, ut cum istis nominibus utar, suspectus habear, quasi ista separari, dividi que existimaverim?*

Ecce Dionysius ipse protestatur expressè, se nunquam separasse, vel dividisse, se nunquam existimasse, separatum, vel divisam esse substantiam Filii à substantia Patris, aut substantiam Spiritus sancti à substantia Patris & Filii. Hoc autem protestari, nihil aliud est, quam protestari, se nunquam docuisse aliam Patris, aliam Filii, & aliam Spiritus sancti substantiam esse; se semper sensit unam & eandem esse substantiam Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Sed quod nullum tergiversationi locum relinquit, paulò post verba laudata Dionysius disertissimè asserit illam in Patre, & Filio, & Spiritu sancto unitatem & identitatem in substantia. *Hoc scilicet pacto, inquit, unitatem, quae indivisibilis est, in trinitatem dilatamus: & trinitatem, quae diminui non potest, in unitatem consummamus; & tamen scilicet accusamur, quasi qui dicamus Filium (subintellige, & Spiritum sanctum) unum esse ex numero rerum factarum, & nequaquam Patri consubstantialem. Quid hoc aliud est, obsecro, quam aperte confiteri unitatem substantiae & deitatis in trinitate personarum, & trinitatem personarum in unitate substantiae, & deitatis?*

Sed ad majorem adhuc Dionysii orthodoxiae evidentiam observare. Ex occasione Epistolae, ut jam à nobis relatam est, contra Sabellii impietatem à Dionysio ad Ammonium & Euphranorem scriptae, è Pentapolitanis orthodoxis aliqui, qui Romam venerant, Dionysium apud cognominem Pontificem accusarunt violatae divinitatis Filii & Spiritus sancti, quasi qui negasset

Apud Ath.
Epist. Iud.

gasset in dicta epistola Filium & Spiritum esse Patri consubstantialia, & utrumque diversè à substantia Patris substantiæ afferisset. His epistolæ, à Dionysio Romano ad Alexandrinum scriptæ, verbis continentur accusatio: *Deinceps adversus eos dicam, qui dividunt, & secant, & evertunt religiosissimum dogma Ecclesie Dei; monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, & divisas hypostasas, ac deitates tres. Nam audio quosdam apud vos esse, institutores, & doctores divini Verbi, qui illius sunt opinionis auctores: qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphematur, Filium ipsum asserens esse Patrem, & è converso Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo Deos predicant, dum sanctam monadem dividunt in tres hypostasas peregrinas, & à se invicem planè separatas.* Dionysius autem Alexandrinus, accepta Romani epistola, ad eum misit Apologiam, tribus libris contentam, in qua se apud eum plenè purgavit, eique innocentiam suam probavit. His præsuppositis

Porrò Dionysii Alexandrini orthodoxiam sic arguuntor evidenter. Ille falsò accusatus est violatæ divinitatis Filii & Spiritus sancti, qui falsò dictus est, partitus esse monarchiam in tres virtutes, tres substantias, tres deitates; qui falsò dictus est, sanctam monadem divisisse in tres substantias peregrinas, & à se invicem planè separatas, hoc est, in tres substantias, seu naturas, realiter distinctas & diversas. Atqui Dionysius Alexandrinus falsò dictus est partitus esse, &c. Ergo falsò accusatus est violatæ divinitatis Filii & Spiritus sancti; adeoque immeritò traducitur, quasi qui divinam & adorandam majestatem Spiritui sancto ademerit, eumque, ad inferiora devexum, creatæ ac ser-vili nature adnumeravit.

Prob. min. Nam Dionysius Alexandrinus apud cognominem Pontificem & Romanam Synodum accusatus, neque damnatus, neque exactoratus fuit, sed in Ecclesiæ communionem mansit, & sedem suam retinuit. Damnationem autem & depositionem effugit, non palinodiam recantando apud Pontificem Romanum & ejus Synodum, sed apud utrumque accusationem sibi intentatam diluendo, & utrique innocentiam suam probando. Atqui accusationem sibi intentatam nec diluit, nec diluere potuit, & innocentiam suam nec probavit, nec probare potuit, nisi ostendendo se nunquam partitum esse monarchiam in tres virtutes, tres substantias seu essentias, tres deitates; nunquam se sanctam monadem divisisse in tres substantias peregrinas, & à se invicem separatas, sive, quod idem est, in tres substantias, seu naturas realiter distinctas & diversas. Ergo, &c. Totum hoc argumentum paucis complectitur Athanasius, cum ait: *Magni certe argumenti est, nihil eos (Arianos) veri dicere, & calumniis virum (Dionysium Alexandrinum) premere, quòd ille nunquam ab aliis Episcopis de impietate convictus est, neque hæresim propugnando ab Ecclesia secessit, sed in ea cum pietate obdormivit; quòdque ejus memoria hæcenus cum Patribus hucusque celebrata est, & in catalogum relata: qui scum istis (Arianis) ejusdem opinionis fuisset, aut si scriptorum suorum rationem non reddidisset, minime dubium, quin eadem, que illi, passurus fuisset.*

Confirm. Ille falsò dictus est monarchiam in tres deitates partitus esse, & sanctam monadem in tres substantias seu essentias distinctas & diversas separasse, qui ea de re accusatus, plures libros scripsit, non rixandi animo, & ostendendi monarchiam in plures deitates, & monadem in plures & diversas essentias à se divisas & separatas fuisse; sed ut objectum sibi crimen dilueret, probaretque, se non ita sensit & scripsisse. Atqui Dionysius Alexandrinus plures libros, & quidem sub nomine Apologiae, scripsit, non rixandi animo, &c. Ergo, &c. Hoc argumentum suggerit Athanasius. *Quod ad Prasulem Alexandrinum Dionysium attinet, inquit, ex Apologia ejus satis apparet, eum non illius sententia, cujus isti dicunt, fuisse . . . imò potius scripta illius efficaciter demonstrant, calumnias esse, quibus vulgò impetitus*

est. Non enim rixandi animo, sed sui purgandi, Apologiam scripsit. Certe qui suam innocentiam purgat, quid aliud facit, quam quòd crimen diluit?

Ex dictis habemus, 1. Dionysium Alexandrinum apud cognominem Romanum Episcopum accusatum esse, quasi monarchiam & sanctam monadem violasset, negando scilicet unam & eandem esse trium personarum substantiam, atque ita quasi non solum Filii, sed etiam Spiritus sancti divinitatem oppugnasset. 2. Ad hanc accusationem, velut crimen sibi objectum, refutandam, plures libros conscripsisse. 3. Et sic accusationem hanc refutasse, ut se purgaverit apud Pontificem, eique innocentiam suam probaverit. 4. Atque ita in suis contra Sabellium scriptis, neque monarchiam & sanctam monadem violasse, neque Filii aut Spiritus sancti divinitatem oppugnasse. 5. Semper credidisse unitatem substantiæ cum personarum trinitate; licet in sua ad Ammonium & Euphranorem epistola, non modò non defenderit expressè, sed potius sic incubuerit probandæ personarum distinctioni, ut in unitatis & identitatis earum in substantia rejectæ suspensionem venire poverit.

Quòd autem Dionysius in dicta epistola, unde suspicio nata est, in probanda identitate substantiæ nullus, in afferenda verò distinctione personarum totus, & penè nimius fuerit, non carere probabili excusatione ostendit non semel Athanasius. Pugnat enim contra Sabellium & Sabellianos, qui non unitatem substantiæ, sed personarum distinctionem rejiciebant, & ad quibus obstruendum os, ea Scripturæ loca, quæ cum personarum distinctione substantiæ unitatem significant, minùs idonea visa sunt Dionysio, quàm alia, quæ cum distinctione personarum aliquo pacto innuere videntur naturarum diversitatem. Unde in his textibus allegandis, Dionysius, ut cum Athanasio loquar, egit ut medicus, qui ea remedia, que aliis inter se congruere non videntur, pro sua peritia vulneribus adhibet, non alio tamen, quam ad mali curationem, respiciens; & ut probus præceptor, cujus est omnia in erudiendo ad mores discipulorum dispensare, donec eos ad profectum absolutæ eruditionis evehat.

Denique quod ait S. Basilium Dionysium varium & inconstantem fuisse circa Consubstantialia, illudque modò rejecisse, modò admisisse, hoc non dixisset, si præ manibus habuisset Dionysii libros. Nam in primo, Dionysius cognominem Romanum Pontificem alloquens, sic agebat: *Ostendo, in alia scilicet epistola, quam ad eum scripserat, falsum esse crimen, quòd mihi objiciunt, quòd Christum Deo consubstantialia esse negassem. Nam tamen dico me id vocabuli in sacris litteris nec legisse, nec reperisse, verum tamen argumenta mea, quæ postmodum subjunxi, & ab aliis tacita sunt, nonne prorsus ab hac sententia discrepant: qui & humanam sobolem pro exemplo allegavi, de qua nihil dubium, quin sit cum genitore ejusdem generis, atque eo solo parentes à liberis alios esse, quòd ipsi liberi sui non sint? Sensum igitur Consubstantialis semper admisit Dionysius, ipsam vocem nunquam rejecit, sed solum ab illa aliquando abstinuit, scripsitque illam in sacris litteris à se neque lectam, neque repertam, ac denique tandem illam cum cæteris Catholicis usurpavit, ut constet ex eum ad Paulum Samozatenum epistola,*

§. III.

Malè sensit, si S. Augustino fides habetur, de divinitate Filii & Spiritus sancti Donatus Episcopus Carthaginensis ex parte Donatistarum: nam successit Majorino, quem contra Cæcilianum, confato schismate, Carthaginensem Episcopum ordinarat Donatus alter, è Numidia oriundus. De illo autem hæc scribit S. Augustinus lib. de hæres. 69. *Eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment, propter ipsum potius, quam propter Donatum Numidam, eos Donatistas vocari. Extant scripta ejus, ubi apparet eum etiam non catholicam de Trinitate habuisse sententiam: sed quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen*

Apud Ath.
lib. de decre-
tis Nic. Syn.

Epist. laud.

Epist. ead.

Epist. ead.

tamen Patre Filium, & minorem Filio putasse Spiritum sanctum. Verum in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur. Sed cum Donatus docuerit unam & eandem esse substantiam Patris, Filii, & Spiritus sancti, & sic nullam inter eos in essentialibus & absolutis inæqualitatem posuerit; per se enim notum est, plures non posse non esse parës in ea ratione, in qua unum & idem sunt; facile excusari potest, dicendo eum non aliud sensisse, quam plerique alii veteres, qui Patri supra Filium, & Filio supra Spiritum sanctum notionalem quandam principii excellentiam & auctoritatem attribuerunt, & nihilominus Filium & Spiritum sanctum verum Deum crederunt.

Cum Origene non solum circa Filii, sed etiam circa Spiritus sancti divinitatem erravit Eusebius Cæsariensis, ut patet ex lib. 3. de Eccles. Theologic. c. 6. *Filius unigenitus Deus, inquit, qui erat in sinu Patris. At Spiritus Paracletus neque Deus, neque Filius, Quoniam non de Patre, perinde atque Filius, generis accepit, & unus ex eorum censu est, qui per Filium condebantur: quandoquidem omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ecce aperte negat Eusebius Spiritum sanctum esse Deum, etiam eo sensu, abusive scilicet & improprio, quo vult Filium Deum esse; & aperte asserit Spiritum sanctum à Filio, perinde ac reliquis creaturas, factum & conditum fuisse; cum solus Filius à solo Patre ad existiam quandam ejus similitudinem factus fuerit, adeoque nuncupetur & Filius Dei unigenitus, & Deus.

Quamvis Arius, pessimè sentiens de Filio, non posset non sentire pessimè de Spiritu sancto; nullus enim unquam hæreticus insanivit adeo, ut Spiritum sanctum Filio anpreponeret, & dicendo Filium creaturam; nihilominus Spiritum sanctum verum Deum diceret; palam tamen, & expressis verbis non impugnavit, nisi solam Filii divinitatem, saltem ante Nicænam Synodum. Nam Spiritus sancti mentio nulla fit in ejus epistolis, aut libellis, nec in Alexandri litteris, in quibus ejus blasphemiam accuratè enumerantur: neque in Nicæna Synodo pro asserenda Spiritus sancti divinitate laboratum est, sicut laboratum est pro asserenda divinitate Filii: unde in Symbolo nihil in particulari sancitum est de Spiritu sancto. Cujus rei hanc reddunt rationem Patres, quod tunc necessum non fuerit, quidquam definire de Spiritu sancti divinitate, de qua nondum mora fuerat quaestio. Utrum autem Arius postea etiam Spiritus sancti divinitatem palam & expressè oppugnaverit, dubium est, nec extat monumentum, quo certè probari possit, sic oppugnasse, nisi quod S. Epiphanius her. 69. & post eum S. Augustinus lib. de her. 49. de puris Arianis affirmant, eos velle Filium esse creaturam, sanctum verò Spiritum esse creaturam creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatum esse.

Sancti Spiritus divinitati aperte bellum indixere Aetius, & discipulus ejus Eunomius sub Imperatore Constantio, dissimilem per omnia Patri asserentes Filium, & Filio Spiritum sanctum, ut refert S. Augustinus lib. de her. 54. & Filium à Patre, sanctum verò Spiritum à Filio procreatum esse docentes, ut narrat S. Epiphanius her. 76. Qui autem secuti sunt hanc hæresim, dicti sunt Aetiani ab Aetio, frequentius Eunomiani ab Eunomio, & communissimè Anomœi, propter dissimilitudinem, quam invehebant in sanctissimam Trinitatem.

Aetium & Eunomium proximè subsecutus est Macedonius Constantinopolitanus, cujus sectatores ab ejus nomine nuncupati sunt Macedoniani, qui, quia partim Arianis consenserunt, docentes cum illis Spiritum esse creaturam; partim ab illis disenserunt, consententes cum Orthodoxis Filium unius & ejusdem esse substantia cum Patre, dicti quoque sunt Semiariani. Quare autem illis etiam *Pneumatomachorum* nomen potius attributum fuerit, quam Anomœis, qui tam, imò magis in Spiritum sanctum blasphema-

bant, hæc ratio esse potest, quia Macedonianis singulare fuit, quod de Spiritu sancto malè sentirent; cum de Filio idem sentirent, quod Catholici: Anomœis verò hoc non fuit singulare; cum tam de Filio quam de Spiritu sancto malè senserint. Macedoniani igitur à præcipuo, vel etiam fortasse unico errore *Pneumatomachi* vocati sunt; sicut Anomœi sic sunt vocati, propter eorum blasphemiam in Filium, cujus divinitatem potissimum impugnabant, illum impudenter asserentes Patri per omnia dissimilem, quod non faciebant Ariani politici.

Addam hic nonnullos fuisse etiam inter Orthodoxos tempore S. Basilii, qui Spiritum Sanctum nominare Deum volebant, quos aliquando imitatus est S. Basilius, qui œconomia causa, & ne quibudam hæreticis, qui tunc in urbe plurimum poterant, qualemcumque occasionem ipsam ejiciendi præberet, cum magno Ecclesiæ suæ damno, aliquandiu, donec libertatis & tranquillitatis tempus succederet, in publicis de Spiritu sancto sermonibus, à nuncupatione Dei abstinuit; rem tamen hoc vocabulo significatam Spiritui sancto attribuendo, & argumentis probando.

Audiamus hæc de re S. Gregorium Nazianzenum in oratione in laudem S. Basilii: *Illi nydam, inquit, atque apertam vocem, qua Spiritui sancto divinitatem tribueret, arripere cupiebant. . . ut eo cum summa theologica lingua civitate pulso, Ecclesiam ipsi occuparent. . . quas eorum insidias ut eluderet Basilius, aliis quidem vocibus à Scriptura petitis, testimoniisque minime dubiis, eandem vim habentibus, necessariisque argumentis adversarios ita comprimebat, ut nullo modo repugnare, atque in contrarium niti possent. . . Sed tamen propriam & apertam vocem interim usurpare differebat, tum ab ipso Spiritu, tum ab aliis etiam sinceris ipsius propugnatoribus veniam petens, ac rogans, ne hoc suo consilio offenderentur, nec committerentur, ut dum unam voculam retinere conarentur, propter inexplebilem cupiditatem omnia perderent. . . Quod aliqui melius quam quovis alii Spiritum sanctum Deum nosset, ex eo perspicue constat, quod & hoc sæpe de loco superiore, quoad per tempus licebat, predicavit, & privatim apud eos, à quibus interrogabatur, haud cunctanter confessus est. . . Cum temporis angustiis premeremur, hanc ipse rationem inibat, ut sibi quidem verbi dispensationem, nobis autem, quos ob nominis obscuritatem nemo accusaturus, patriaque ejecturus esset, loquendi libertatem committebat.*

Basilius igitur aliquando in publicis concionibus, cum de Spiritu sancto ageret, ab eo nuncupando Deo abstinere prudenter, pacis & concordia causa, atque ut Ecclesiæ suæ incolumitati consuleret; eludendo insidias malevolorum, qui occasionem captabant cum ab urbe pellendi, ut eo pulso, Ecclesiam impunè vastare possent. Sic autem œconomia gratia, à nuncupatione Dei, cum de Spiritu sancto loquebatur, publicè abstinere, ut tunc Spiritum sanctum verbis æquivalentibus Deum diceret, eique, quæ non nisi vero Deo conveniunt, attribueret, & de eo probaret validissimis argumentis, quibus opprimebantur ii, qui ei adverbantur. Præterea, in privatis colloquiis, interrogantibus de Divinitate Spiritus sancti incunctanter respondebat, illum esse Deum; imò & privatos hortabatur, ut palam Spiritum sanctum Deum assererent, & defenderent. Insuper ipse etiam è suggestu sæpè, quoad per tempus licuit, Spiritum sanctum concepto verbo Deum nuncupavit.

Itaque Basilius præter œconomiam, qua aliquando difficili tempore usus est circa Spiritum sanctum, immeritò aliquando dubius fuisse circa divinitatem illius diceretur. Quod amplius ostendi potest ex eo, quod omittebam, & narrat Gregorius Nazianzenus loco citato. *In suis, inquit, ad me sermonibus apertius id ostendit (neque enim quidquam unquam, cum de his rebus mecum colloqueretur, animo rectum occultumque habuit) non simpliciter hoc affirmans, sed quoad antea ipsi perraro acciderat, sibi rem omnium maxime horrendam imprecatus, nempe ut ab ipso Spiritu*

ritu

ritu excideret, nisi cum Patre & Filio Spiritum ut consubstantialem & aequalem coleret.

Hanc suam mentem innumeris locis expressit Basilii, præsertim lib. de Spiritu sancto, & lib. 5. adversus Eunomium, ubi tit. 1. Spiritum sanctum æquè nominat Deum, ac Patrem & Filium. Cum, inquit, quæ communia sunt creaturis, Spiritui sancto non communicentur; & quæ Spiritus propria sunt, creatura non communicentur; colligitur hinc Spiritum non esse creaturam: quoniam quæ communia sunt Patri & Filio, eadem communia sunt & Spiritui. Nam quibus designatur in Scriptura Pater & Filius esse Deus, eisdem designatur & Spiritus esse Deus. Ex quibus colligitur ejusdem Spiritum esse deitatis cum Patre. Quoniam quæcumque Patri ut Deo, non ut Patri insunt, & quæcumque Filio ut Deo, non ut Filio insunt, ea etiam Spiritui insunt, non autem creaturis; sicut nomina & res creaturis incommunicabiles, soli Trinitati communes: patet Trinitatem esse consubstantialem. Porro si quis præfatam œconomiam in Basilio vult reprehendere, eam quoque reprehendat, necesse est, in Constantinopolitana Synodo, quæ in suo Symbolo divinitatem Spiritus sancti verbis tantum æquivalentibus asseruit, nec eum, sicut Patrem & Filium, expressè nuncupavit Deum.

ARTICULUS II.

Utrum Spiritus sanctus sit verus Deus.

S. I.

Probatum ex sacris litteris Spiritus sancti divinitas.

1. **I**saïæ c. 6. qui dicit: *Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visianem, & nolite cognoscere, &c.* Dominus Deus exercituum est, quem eod. cap. ter sanctum inelamant Seraphim. At Paulus Apostolus Act. cap. ult. eadem illa verba attribuit Spiritui sancto. Bene, inquit, Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens: *Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perspicientis.* Igitur Spiritus sanctus Dominus Deus exercituum est.

Simili modo probatur Spiritum sanctum esse Deum ex Act. cap. 5. ubi Petrus Apostolus vers. 3. dicit: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Et versu 4. addit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ex Psal. 94. ubi de Deo loquens David, ait: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra; sicut in irritatione secundum diem temptationis in deserto, &c.* Junctæ epist. ad Hebræos c. 3. ubi sic loquitur Apostolus: *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra; sicut in exacerbatione, &c.* Et sic loquendo, Apostolus attribuit Spiritui sancto verba, quæ olim protulerat Psaltes in persona Dei. Et 1. Cor. c. 3. ubi sic ait Paulus: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Junctæ c. 6. ubi hæc habet Apostolus: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est? Ex ead. epist. c. 12. ubi dicitur: Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Tum inferius additur: Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult. Quibus verbis aperte significat Apostolus, Spiritum sanctum esse Dominum, à quo sunt divisiones ministracionum, & Deum, à quo sunt divisiones operationum.*

2. In Scripturis Spiritui sancto attribuntur ea, quæ soli Deo conveniunt, ut vis comprehensiva divinitatis. Nobis autem, inquit Apostolus, revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit,

quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Ex quibus Apostoli verbis Spiritum sanctum non esse creaturam colligit S. Athanasius epist. ad Serapionem de Spir. sanct. Item S. Ambrosius lib. 2. de Spir. sanct. cap. 12. in eadem verba sic discurre: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Numquid exclusus est Dei Filius? Non utique, quia nec Spiritus sanctus exclusus est, cum dicitur: Neque Patrem quis novit, nisi Filius? Ergo unius & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus & natura sunt & scientia, Neque cum omnibus, quæ per Filium facta sunt, sanctus amumerandus est Spiritus: cum Deum Patrem noverit, quem, sicut scriptum est, quis potest nosse, nisi Filius? sed & Spiritus sanctus novit. . . . Quid est igitur Spiritus, qui alta Dei novit, per quem Deus omnipotens revelatur? Numquid plenitudine divinitatis inferior est, qui ejusdem cum Patre substantia etiam hoc exemplo probatur, &c.*

Ut immensitas: nam dicitur Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?* Et Sap. c. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et Joel. c. 2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Ex quibus textibus sic differit S. Ambrosius l. 1. de Spiritu sancto c. 7. *Cum omnis creatura certis natura sua sit circumscripta limitibus, . . . quomodo quis audeat creaturam appellare Spiritum sanctum, qui non habeat circumscriptam determinatamque virtutem? quia & in omnibus & ubique semper est, quod utique divinitatis & dominationis est proprium. . . . De qua creatura dici potest, quia repleverit universa, quod scriptum de Spiritu sancto? Domini est omnia complere, qui dicit, Ego cælum & terram compleo. Si ergo Dominus est, qui cælum complet & terram, quis potest Spiritum sanctum judicare dominationis & divina potestatis exortem, qui replevit orbem, &c.*

Ut virtus sanctificandi animas: nam dicitur ad Tit. c. 3. *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum salvatorem nostrum: ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Et 1. Cor. c. 6. *Hæc quidem fuisistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Et Rom. cap. 3. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hinc Spiritus sanctus vocatur, ejusd. epist. c. 1. *Spiritus sanctificationis.* Hic planè congruunt verba S. Ambrosii lib. 1. de Spir. sanct. c. 5. *Bonus ergo Spiritus. Bonus autem, non quasi acquirens, sed quasi impericiens bonus est: non enim accipit à creaturis, sed accipitur Spiritus sanctus, sicut non sanctificatur, sed ipse sanctificat. Creatura enim sanctificatur: sanctificat autem Spiritus sanctus, in quo licet verbi communio, discretio tamen nature est: sanctus enim dicitur & homo, qui accipit, & Deus, qui tribuit sanctitatem. . . . non ergo potest sanctificatio & corruptela unius esse nature. Et ideo non potest gratia sancti Spiritus & creatura unius esse substantia. Itaque cum omnis invisibilis, præter Trinitatem, reliqua natura. . . . non impertiat spiritalem gratiam, sed acquirat. . . . separanda utique est à societate Spiritus sancti communitas creatura.*

Ut vis efficiendi homines naturæ divinæ confortes, filios Dei adoptivos, & hæredes vitæ æternæ: hæc enim vis cum virtute sanctificandi conjuncta est, Unde qui hanc habet, habet & illam; & Scripturæ, quæ hanc Spiritui sancto attribunt, illam simul & indivisibiliter attribunt. Præterea, dicitur epist. 1. Joan. c. 4. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Et Rom. c. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei: non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Et 2. Cor.

Cor.

Cor. e. I. Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Et Ephel. c. I. In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae.

Epist. ad Serap. de Spir. sancto.
Si ex presentia Spiritus, qui nobiscum est, inquit Athanasius, efficiuntur consortes divinae naturae, insanerit profecto si quis hoc dicat fieri per spiritum creatum, & non per Spiritum Dei: ob eam enim causam in hominibus est, & ii, in quibus est, deificatur. Quod si ille deificet, ambiguum esse non potest, quin hujus naturae, Dei sit natura. Et inferius: In eo (Spiritu sancto) Verbum creaturam divinam reddens glorificat, dum nos filios efficit, & Patri conciliat. Quod autem una cum Verbo glorificat creaturam, illud creaturam esse impossibile est: & quod creaturam efficit, ut filiorum vicem obtineat, id a Filio esse alienum non potest, quia requirendus esset alius Spiritus, ut per eum creatura captaretur Filio. Non igitur in numero rerum conditarum est Spiritus, sed deitati Patris proprius ac suus; in quo autem deificatur creatura, id nunquam fuerit extra Patris deitatem.

Ut creatio & conservatio universi: nam dicitur Psal. 103. Auferes spiritum eorum, & deficiet, & in pulverem suum revertetur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terrae. Et Psal. 147. Emittes verbum suum, & liquefaciet ea; flabit spiritus eius, & sument aquae. Et Psal. 32. Verbo Domini caeli firmati sunt: & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et Gen. c. I. Spiritus Dei ferebatur super aquas. Et inferius: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. In primum autem textum sic differit S. Ambrosius lib. 2. de Spir. sancto. c. 5. Non solum igitur sine Spiritu docuit omnem creaturam stare non posse, sed etiam creatorem totius esse Spiritum creaturam. Et quis neget opus esse Spiritus sancti, quod creata est terra, cuius opus est quod novatur? Nam si negare cupierint, quod per Spiritum sit creata, cum per Spiritum novandam negare non possint, meliorem ergo operationem Spiritus sancti, quam Patris & Filii, qui cupiunt separare, defendant, quod abhorret a vero, &c.

Ex secundo & tertio colligit S. Athanasius epist. ad Serap. de Spir. sancto. Patrem omnia operari per Verbum & Spiritum sanctum. Id igitur, inquit, quod . . . operatur, quae operatur Pater per Filium, illud, qui creaturam dicit, qui fieri potest, ut non is, reuera in ipsum Deum impietatem committat? quandoquidem nihil est, quod non per Verbum in Spiritu fiat, & perpetretur; cum id ipsum in Psalmis canatur: Verbo Domini, &c. Idem antea collegerat & primò, & dixerat: Qui, queso, blasphemum non erit, dicere Spiritum sanctum creaturam esse, in quo omnia Pater per Verbum suum perficit, ac renovat? Reliqui duo textus non minus efficaces sunt. Nam Spiritus Dei ferebatur super aquas, non deambulando, sed operando; & verba illa, Faciamus, &c. non unius se ipsum alloquentis sunt, sed plurium Personatum sese ad productionem hominis accingentium, Patris scilicet, Filii, & Spiritus sancti, quibus proinde hominis, idem autem iudicium esto de reliquis omnibus creaturis, productio communis est, ut unanimiter observant Patres.

Ut opus Incarnationis, & Christi ut hominis sanctificatio. Nam dicitur Matth. c. I. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Et superius: Maria . . . inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Et Luc. c. I. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Opus ergo Spiritus, inquit Ambrosius, Virginis partus est. Opus Spiritus, fructus est ventris, secundum quod scriptum est: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Opus Spiritus, flos radices est, ille, inquam, flos, de quo bene est prophetatum: Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice eius ascendet. . . . Dubitare ergo non possumus Spiritum creatorem, quem Dominica cognoscimus Incarnationis auctorem. Et c. 8. Ergo Spiritus san-

ctus, qui creavit Dominica Incarnationis sacramentum, quod super omnes est creaturas, quomodo esse poterat creatura?

Quod autem Christi secundum humanitatem sanctificatio, imò & directio, à Scripturis attribuitur etiam Spiritui sancto, ostenditur. Nam dicitur Luc. c. 4. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Jordane, & agebatur à Spiritu in desertum. Et Isajae c. 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me. Quae verba Isajae in persona Messiae dixisse, constat ex Luc. c. 4. v. 18. & ejusdem Isajae c. 11. Requiescet super eum Spiritus Domini; spiritus Sapientiae & intellectus: Spiritus consilii & fortitudinis; Spiritus scientia & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.

Sic autem ex his, vel similibus locis, ratiocinatur S. Ambrosius lib. 1. de Spir. sancto. c. 7. Si Dominus est, qui caelum complet & terram, quis potest Spiritum sanctum judicare dominationis & divinae potestatis exortem, qui replevit orbem, & quod ultra totum orbem est, replevit Jesum, mundi totius redemptorem? scriptum est enim: Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est ab Jordane. Quis igitur alius, nisi qui ejusdem esset plenitudinis, complementem omnia posset implere? Et inferius: Supra nos ergo effusum est de Spiritu. At vero supra Dominum Jesum, cum in forma esset hominis, manebat Spiritus. Et c. 8. Cum ipse Filius Dei dicit: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, spiritale significat unguentum. Ergo unguentum Christi est Spiritus.

Ut sanctitas, impeccabilitas, & bonitas per essentiam. Nam ille per essentiam sanctus est, impeccabilis, & bonus, qui fons est & origo omnis sanctitatis, justificationis, & bonitatis. Atqui ex Scripturis Spiritus sanctus omnis sanctitatis, justificationis, & bonitatis fons & origo est. Ergo, &c. Eò pertinent verba illa Ambrosii lib. 1. de Spir. sancto. c. 20. Discant non solum aquam, sed etiam flumen dicitur Spiritum sanctum, secundum quod lectum est: Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae; hoc autem dicebat de Spiritu sancto, quem accepturi erant, qui credituri erant in eo. Ergo flumen est Spiritus sanctus, & flumen maximum . . . magnum hoc flumen, quod fluit semper, & nunquam deficit. Nec solum flumen, sed etiam profusi impetus, & magnitudinis redundantis, &c. Et illud c. 5. Bonitatem habet Spiritus sanctus. Quod etiam Apostolus docuit, dicens: Fructus autem Spiritus pax, charitas, gaudium, patientia, bonitas. Quis autem dubitat, quod bonus sit, cuius fructus est bonitas? . . . Annon bonus Spiritus, qui bonos de pessimis facit, peccatum abolet, malum delet, crimen excludit, bonum munus infundit? . . . Quid est Spiritus, nisi plenus bonitatis? . . . complens virtute omnia . . . oppletis virtutibus, unicuique praesens, dividens de suo singulis, & utique totus. . . Bonus ergo Spiritus; bonus autem non quasi acquirens, sed quasi impertiens bonus est. Non accipit à creaturis, sed accipitur Spiritus sanctus; sicut non sanctificatur, sed ipse sanctificat, &c. Et illud c. 9. Spiritus obnoxius non potuit esse peccato, qui magis peccata condonat. . . nemo autem, quod potest donare, non potest vitare.

Ut suprema in Ecclesia auctoritas. Nam dicitur Act. c. 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Supremum Ecclesiae regimen. Nam dicitur Joan. c. 14. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecumque dixerò vobis. Et superius: Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. . . Apud vos manebit, & in vobis erit. Cum autem Filius dicit alium Paraclitum, & vocat eum Spiritum veritatis, manifestè illum exaequat sibi. Et suprema gratiarum dispensatio. Nam dicitur I. Cor. c. 12. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. In quae verba haec habet Ambrosius lib. 1. de Spir. sancto.

sanct. c. 1. *Non servit Spiritus, omnia autem servant: super omnia igitur Spiritus est, qui non servit sicut omnia. Non enim aliens aut potestati, aut juri subiectus est, sed sua libertatis est arbiter: siquidem omnia pro autoritate propria voluntatis dividens, sicut scriptum est, singulis prout vult.*

Ut habere templum, seu in fidelibus habitare velut in templo. Nam dicitur 1. Cor. c. 6. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? Ex quibus verbis argumentatur pluribus locis S. Augustinus, ut lib. 2. contra Maximinum c. 11. Quem dicimus, inquit, talem ac tantum; absit à nobis, ut eum negemus Deum, quod etiam per suum templum, quod nos ipsi sumus, citissime & facile ostenditur. Neque enim, nisi Deus noster esset, templum nos ipsos habere potuisset. . . . Quare tam fraudulenter egisti, ut unum horum commemorares, quod dictum est, Templum Dei estis, & alterum taceres, quod est, Corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti? Cur hoc fecisti, rogo te, nisi quia nullo modo posses argumentari, quomodo Deus noster non esset, qui templum nos ipsos haberet, quem sine dubio Deum cognosceremus, si ei templum de lignis & lapidibus per divinam scripturam facere juberemur? Et lib. 3. c. 3. ubi sic ait: Si religionem, qua colitur Deus, sicut dignum est, cogitares, multo plus esse cernereres, quod habet Spiritus sanctus templum, quam si eum legeres adoratum. Et homines enim à sanctis novimus adoratos. Templum verò non est factum ab hominibus, nisi aut vero Deo, sicut Salomon fecit; aut eis qui pro diis habentur, sicut Gentes, quæ ignorant Deum. Spiritus autem sanctus, quod cum magno honore de Deo dictum est, non in manufactis templis habitat, sed corpus nostrum templum est Spiritus sancti. Et ne corpora nostra contemnas, membra sunt Christi. Quælis ergo est Deus, cui templum adificatur & à Deo & de membris Dei? Vide S. Ambrosium lib. 3. de Spir. sanct. c. 13.*

3. Denique, divinitatem Spiritus sancti demonstrant illa Christi verba, Matth. c. 28. *Emite ergo, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Nam absque ullo discrimine annumeratur Patri & Filio. At certè Christus nunquam sic creaturam Deo annumerasset. Si creatam, inquit Theodoretus, naturam haberet Filius, aut sanctissimus Spiritus, non utique cum Creatore Deo numeraretur. Accusant enim illos divine littere, qui servierunt creature præter Creatorem. Propterea & unigenitus Dei Filius homo factus est, ut ab hoc errore liberaret homines, ac Dei & creature discrimen doceret. Porro cum adorationem creature sustulerit, non utique creatam naturam adorare jussisset, Christus autem, loco citato, Patri & Filio Spiritum sanctum sic annumerando, utrique illum exæquavit, & cum utroque adorandum significavit. Sanctus igitur Spiritus non creatura est, sed cum Patre & Filio unus Deus Creator.

Præterea, cum Christus ait, *in nomine*, non, *in nominibus*, dicit Spiritum sanctum unius esse divinitatis cum Patre & Filio: non enim est trium nomen unum, nisi quia una trium divinitas est, nisi quia tres sunt unus Deus creator & sanctificator. *Iste unus Deus*, inquit S. Augustinus, *quia non in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ubi unum nomen audis, unus est Deus: sicut de semine Abrahe dictum est, & exponit Paulus Apostolus: In semine tuo benedicentur omnes gentes: non dixit, in seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno, & semine tuo, quod est Christus. Sicut ergo quia ibi non dicit, in seminibus, docere te voluit Apostolus, quia unus est Christus: sic & hic cum dictum est, in nomine, non, in nominibus, quomodo ibi, in semine, non, in seminibus, probatur unus Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. In nomine, dixit, inquit S. Ambrosius, non, in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus sancti, quia unus Deus: non plura nomina, quia non duo dii, non tres dii.*

Denique Christus non minus attribuit Spiritui sancto regenerationem baptizati, quam Patri & Filio, adeoque non minus attribuit Spiritui sancto virtutem regenerandi, quam Patri & Filio. At virtus regenerandi non potest tam competere Spiritui sancto, quin ei tam competat divinitas. Ergo, &c. Item Christus apertè significat unam esse actionem, tribus personis communem, qua peccata condonantur, & sanctificatur is, qui baptizatur; adeoque significat unam esse virtutem condonandi peccata, & hominem sanctificandi, tribus personis communem. Non potest autem esse una ejusmodi virtus communis tribus personis, quin una & eadem sit trium personarum divinitas. Ergo, &c.

Porro omnia ferè momenta, quæ sumi possunt ex sacris litteris pro divinitate Spiritus sancti, S. Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum c. 35. contrahit his verbis: *Dicatur igitur, si celorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus: si potest vivificare, qui non est Deus: si potest in baptizatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus: si potest charitatem tribuere, qui non est Deus: si potest gratiam dare, qui non est Deus: si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus: & digne Spiritus sanctus negabitur Deus. . . . Si hæc creatura possibilia nunquam fuerunt, & inveniantur in Spiritu sancto, que tamen soli competunt Deo, non debemus naturaliter diversum à Patre Filioque dicere, quem in operum potentia diversum non possumus invenire: ac sic ex unitate operis unitas est agnoscenda virtutis, & ex unitate virtutis, unitas substantiæ & deitatis.*

§. I I.

Probatur Spiritus sancti divinitas ex Patribus trium priorum seculorum.

1. S. Ignatius Martyr, in epistola ad Philippenfes, cuius quidem nec Eusebius, nec Hieronymus meminit, sed quam facilè ut genuinum Ignatii opus passim agnoscunt viri docti, ob styli similitudinem, & spiritum verè apostolicum, sicut observat Bellarminus in lib. de Script. Eccl. Ignatius, inquam, in hac epistola sic loquitur: *Si unus est univerſorum Deus Pater Christi, ex quo omnia, unus autem Dominus noster Jesus Christus per quem omnia; unus autem Spiritus, qui operatus est, & vim suam exercuit in Moſe, in Prophetis & Apostolis. . . . debet esse & una secundum Christum fides: unus enim Dominus, una fides, & unum baptisma: unus Deus & Pater omnium, & per omnia, & in omnibus. Unus igitur Deus & Pater, & non duo, neque tres: unus qui est, nec est alius præter ipsum, solus & verus. . . . unus Filius, Verbum, Deus. . . . unus autem & Paraclitus. . . . Non itaque tres Patres, neque tres Filii, neque tres Paracliti, sed unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus. Quare & Dominus mittens Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit illis ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non in unum trinominem, neque in tres incarnatos, sed in tres ejusdem honoris. Ecce confitentur tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; tres, inquam, personas honore pares, adeoque & deitate: unde ait tres esse unum solum verum Deum, quia tres sunt unius & ejusdem veræ divinitatis: cum tres sint unius & ejusdem honoris.*

2. S. Justinus Martyr in apologia 2. Spiritum sanctum cum Patre & Filio conjungit in omnibus benedictionibus. *Atque, inquit, in omnibus, quas offerimus, oblationibus, benedicendo laudamus factorem omnium per Filium ejus Jesum Christum, & Spiritum sanctum.* At certè non sic conjungeret Justinus creaturam cum Creatore. Præterea, eandem vel similem benedicendi & laudandi factorem omnium formulam habemus; nec negari potest, eandem, quam nos per formulam illam profitemur, fidem professos esse Justinum, & alios, de quibus loquitur, fideles. Nos autem profitemur tres personas unius & ejusdem divinitatis.

Præterea, regenerationem baptizati æquè attribuit Spiritui sancto, ac Patri & Filio. *In nomine autem,* inquit,

Lib. 1. de
Div. Decret.

Tract. 6. in
Joan.

inquit, etiam Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, atque in nomine Spiritus sancti, qui per sacros vates pronuntiavit res Christi omnes, abluatur is, qui illuminatur. At certe vim regenerandi, sanctificandi, condonandi peccata, & illuminandi, non aequè attribuèret creaturae ac Creatori Deo. Denique sic ait: *Pauca adicienda esse statimur Atheos & sine Deo, impiosque nos non esse, qui conditorem hujus mundi colimus & Jesum Christum quod ipse veri & singularis Dei Filium esse edocti sumus secundo loco, ac Spiritum propheticum tertio ordine, nos cum ratione venerari & colere demonstrabimus.* Hic de cultu latriæ manifestè loquitur Justinus, quem à Christianis Patri, & Filio, & Spiritui sancto exhiberi testatur, & demonstrare intendit. At certè Justinus, & cum eo fideles alii, à cultu latriæ exhibendo creaturæ alienissimi erant. Credebat igitur Justinus, & cum eo credebat fideles alii, Spiritum unum sanctum & verum Deum esse cum Patre & Filio: neque enim plures esse Deos credebat, sed unum tantum; sicut nec plures Deos adorabant, sed unum tantum.

Verborum igitur Justinus sensus hic est: Non sumus athei & sine Deo: nam colimus & adoramus Patrem rerum omnium conditorem, & cum eo Filium ejus, & Spiritum sanctum, quibuscum unus est & singularis verus Deus. Sic autem tres unum solum verum Deum colimus & adoramus, ut Patrem tamquam personam ordine primam, quia ingenuus est; Filium tamquam personam ordine secundam, quia à Patre genitus est; Spiritum sanctum tamquam personam ordine tertiam, quia à Patre & Filio productus est, colamus & adoremus.

3. Athenagoras in legatione pro Christianis docet, Patrem esse in Filio, & vicissim Filium in Patre, quia unam habent substantiam & virtutem cum Spiritu sancto. Unde omnia quæ à Patre facta sunt, per Filium, subintelligit, & Spiritum sanctum, facta sunt. *Ab ipsa (Filio) & per ipsum, inquit, facta sunt omnia, cum Pater & Filius unum sint: ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio per unionem & potentiam Spiritus.* Et paulò inferius sic prosequitur: *Quis igitur non miretur, nos qui Deum Patrem predicamus, & Deum Filium, & Spiritum sanctum, ita ut & unionis eorum vim & ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo homines vocari?* Hic autem licet non expressè Deum nominet Spiritum sanctum, ejus tamen divinitatem apertè agnoscit, confitendo substantiæ unitatem cum distinctione personarum, quam vocat distinctionem ordinis, quia fundatur in ordine, quem personæ habent inter se; ubi enim sunt primus, secundus, & tertius, ibi numerus est; & ubi numerus est, ibi realem intercedere distinctionem necesse est. *Nota.* Unionis nomine, substantiæ unitatem intelligit, sine personarum confusione.

4. S. Irenæus lib. 1. adversus hæres. c. 19. hæc habet. *Omnia per ipsum (Verbum) fecit Pater, sive visibilia, sive invisibilia, sive sensibilia, sive intelligibilia, sive temporalia, sive sempiterna: & ea omnia non per Angelos, neque per virtutes aliquas abscissas ab ejus sententia; nihil enim indiget omnium Deus; sed per Verbum & Spiritum suum omnia faciens, & disponens, & gubernans, & omnibus esse præstans.* Itaque juxta S. Irenæum, Deus Pater ad operandum ad extra non usus est ministerio ullius creaturæ; & tamen per Verbum & Spiritum sanctum omnia fecit, omnia disposuit, omnia gubernat, omnibus esse præstat. Ergo juxta S. Irenæum, Verbum & Spiritus sanctus non sunt creaturæ, adedque sunt verus Deus.

Item juxta S. Irenæum, Deus Pater ad mundi productionem, conservationem, & gubernationem, non indiget ministerio Angelorum, aut ullius alterius virtutis, abscissæ ab ejus sententia, hoc est, ullius alterius virtutis, quæ sit alterius ab eo substantiæ; quia scilicet ad hæc omnia sufficiunt ei Verbum & Spiritus sanctus. Atqui hæc ratio manifestè supponit Verbum & Spiritum sanctum neque Angelos esse, neque virtutes aliquas alterius & diversæ substantiæ à Patre. Ergo, &c.

Simonne Theol. Tom. I.

Mentem suam adhuc clariùs exponit S. Irenæus lib. 4. c. 37. ubi sic ait: *Non ergo Angeli fecerunt nos, nec nos plasnaverunt, nec Angeli poterunt imaginem facere Dei, nec alius quis, præter Verbum Domini, nec virtus longè absistens à Patre universorum. Nec enim indigebat horum Deus ad faciendum, quæ ipse apud se præmierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper verbum & sapientia Filius, & Spiritus, per quos & in quibus omnia libere & sponte fecit; ad quos & loquitur, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; ipse à semetipso substantiam creaturarum, & exemplum factorum, & figuram in mundo ornamentorum accipiens. Cum enim dicit Deum Patrem habere manus suas, nempe Verbum & Spiritum sanctum, per quos & in quibus omnia facere potuit, & fecit, atque ita à semetipso substantiam & exemplar creaturarum accipere potuisse & accepisse, apertè significat Verbum & Spiritum sanctum esse de substantia Patris, sicut manus, seclusis imperfectionibus, sunt de substantia hominis, cujus sunt manus: atque virtutem Verbi & Spiritus sancti esse intrinsicè & substantialiter virtutem Patris, sicut virtus manuum, seclusis imperfectionibus, est intrinsicè, & substantialiter virtus hominis, cujus manus sunt. Sensit igitur unam esse substantiam Patris, Filii, & Spiritus sancti, adedque Spiritum sanctum unum esse Deum cum Patre & Filio.*

5. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pæd. c. 6. sic loquitur: *Unus quidem est universorum Pater. Unum etiam Verbum universorum, & Spiritus sanctus unus, & ipse est ubique.* Quibus postremis verbis apertè negat Spiritum sanctum esse creaturam: de nulla enim creatura unquam dictum est, vel dici potuit, quòd sit ubique. Præterea, immensitas est attributum soli Deo conveniens, adedque hoc ipso, quòd Clemens Spiritui sancto immensitatem attribuit, illum ut verum Deum agnoscit.

6. Tertullianus lib. de pudicitia c. 21. confitetur trinitatem unius divinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Consentit S. Cyprianus in epist. ad Jubajanum, ubi ait Patrem, Filium, & Spiritum sanctum unum esse. Et Dionysius Romanus, ut ostensum est disp. 1. & Dionysius Alexandrinus, ut superius demonstratum est hac disp. a. 1. & Gregorius Thaumaturgus in expositione fidei, in qua proficitur trinitatem perfectam, quæ gloria & aternitate, ac regno atque imperio non dividitur, in qua non creatum quid aut servum, neque superinductum aliquid, & adventitium, quasi prius non existens, posterius verò adveniens. Addi potest Zeno Veronenis in sermone de fide, spe, & charitate, ubi charitatem alloquens, sic ait: *Tu in Spiritu sancto exultas. Tu cum in tribus una sis, nullo pacto divideris. At si in tribus personis charitas una est, unam etiam & voluntatem, & naturam, & substantiam esse, necesse est.*

§. III.

Probatum Spiritus sancti divinitas, ex Patribus quartis & sequentibus seculorum.

1. S. Hilarius non expressè quidem Deum nuncupat Spiritum sanctum, sed veram ei divinitatem attribuit æquivalentibus verbis, dum negat esse creaturam, & affirmat eum venire in consortium divinæ nature, lib. 1. de Trin. num. 36. ubi sic ait: *Dehinc consequens visum est, creationis nomine à fide, quæ nobis de unigenito Deo est, repudiato, ea quoque, quæ confessioni sancti Spiritus congrua ac religiosa essent, docere, ut ... neque jam per humani sensus sententiam Spiritum Dei inter creaturas quisquam auderet referre, quem ad immortalitatis pignus, & ad divina incorruptaque natura consortium sumeremus.*

Lib. 2. num. 4. graviter reprehendit eos, qui substantiarum diversitatem invehunt in sanctissimam Trinitatem. Jam verò quid mirum, ut de Spiritu sancto diversa sentiant, qui in largitore ejus creando & demutando, & abolendo, tam temerarii sunt

S

ambo-

authores: atque ita dissolvant perfecti hujus sacramenti veritatem, dum substantiarum diversitatem in rebus tam communibus moluntur: Patrem negando, dum Filio, quod est Filius, adimunt; Spiritum sanctum negando, dum & usum & authorem ejus ignorant? Juxta S. Hilarium, qui asserunt Filium esse creaturam, negant Patrem & Spiritum sanctum; quia si Filius esset creatura, esset alterius substantiæ à Patre, adeoque non esset verè ac propriè Filius; & sic Pater non esset verè ac propriè pater: pater enim verè ac propriè non est, nisi qui habet verè ac propriè dictum filium. Item si Filius esset creatura, cum largitor & author sit Spiritus sancti, Spiritus sanctus esset etiam alterius à Patre substantiæ, & ita non esset Spiritus sanctus, quia non esset Spiritus Patris; cum Spiritus Patris substantiæ Patris extraneus esse non possit. Trinitatis igitur perfecti sacramenti veritatem dissolvunt, qui substantiarum diversitatem inducunt; & hanc diversitatem inducunt, qui Filium creaturam faciunt. Hæc est Hilarii mens.

num 55r

Denique lib. 12. Patrem æternum alloquitur in hunc modum: *Et mihi quidem parum est hoc, fidei meæ ac vocis officio, Dominum & Deum meum unigenitum tuum Jesum Christum creaturam negare: huius ego nominis consortium ne in sancto quidem Spiritu tuo patiar, ex te perfectio, & per eum missio: magna enim mihi erga res tuas religio est. Neque quia te solum inaccessibilem, & unigenitum ex te natum sciens, genitum tamen Spiritum sanctum non distans sum, dicam unquam creatum... Profunda tua sanctus Spiritus tuus... scrutatur & novit, & interpellator pro me tuus, inenarrabilia à me tibi loquitur: & ego nature sue ex te per unigenitum tuum manentis potentiam creationis nomine non modo eloquar, sed etiam infamabo? Nulla te nisi res tua penetrat: nec profundum immense majestatis tua peregrina atque aliena à te virtutis causa metitur. Tuus est, quidquid te init: neque alienum à te est, quidquid virtute scrutantis inest.*

Certe æquivalenter Deum confitetur Spiritum sanctum, qui eum constanter negat creaturam; nam si Spiritus sanctus creatura non est, Deus est: qui Spiritui sancto attribuit id, quod in solius Deum cadere potest, quale est, profundum immense majestatis diviniæ metiri: qui denique negat Spiritum sanctum alienum esse à substantia Patris, & habere virtutem peregrinam & alienam à Patris virtute. Hoc enim æquivalenter est dicere Patrem & Spiritum sanctum unius virtutis, uniusque substantiæ.

2. S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. sic loquitur de Spiritu sancto: *Multi sunt alieni à Spiritu sancto, qui nefanda de illo docent. Tu verò discite, unum esse Spiritum sanctum, indivisibilem... perscrutantem omnia, etiam profunda Dei... qui in lege & prophetis operabatur, & nunc tempore baptismi animam tuam obsignat. Cujus sanctificatione universa intellectualis natura indiget... cui cum Patre & Filio æqualis dignitas & honor exhibetur. Quo indigent Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates. Unus enim est Deus Pater Christi, & unus Dominus noster Jesus Christus, unus Dei unigenitus Filius, & unus Spiritus sanctus, qui omnes sanctificat, qui in Lege & Prophetis, in veteri novoque Testamento locutus est. Quibus verbis Cyrillus Spiritui sancto attribuit, quæ divinitati propria sunt, ut vim perseverandi omnia, etiam profunda Dei, & vim animas obsignandi & sanctificandi: imò expressè asserit eum Patri & Filio dignitate & honore parum esse; quod æquivalenter est dicere, Spiritum sanctum cum Patre & Filio unam & eandem deitatem habere.*

Catechesi decima sexta hæc habet de Spiritu sancto: *Est autem Spiritus sanctus maxima potentia, divinum quiddam & investigabile: vivit enim, & rationalis est, sanctificans per Christum omnes, qui sunt à Deo conscripti. Hic illuminat animas iustorum, hic & in Prophetis, hic & in Apostolis novi Testamenti fuerat... Nemo dicat quod alius illic Spiritus, & alius hic: alioquin recesset Spiritui sancto, cum Patre & Fi-*

lio honorando, & baptismatis tempore in sancta Trinitate comprehenso... Spes nostra est in Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Non tres deos annunciamus... neque separamus sanctam Trinitatem, sicut quidam: neque contrahimus, sicut Sabellius... Bonus est ille sanctificator Ecclesia, & auxiliator, & magister, Paracletus... Magnum commilitonem, & auxiliatorem apud Deum habemus, magnum Ecclesie doctorem, magnum protectorem nostrum... Vide Virtutes, vide Principatus, vide Potestates, vide Thronos, vide Dominationes. Eorum omnium præses apud Deum, & magister, & sanctificator est hic Paracletus... & illi scilicet Angeli sanè, ex eo quod non erant, sunt creati. Hic autem semper à Deo procedens. Et illi nempe Angeli natura sunt mutabiles tamquam creatura... hic autem immutabilis, inconvertibilis, unum existens cum Patre & Filio... Pater per Filium cum Spiritu omnia largitur. Non alia Patris, alia Filii, nec alia Spiritus sancti, sed una est salus, una fides. Unus Deus Pater, unus Dominus unigenitus ejus Filius, unus Spiritus sanctus Paracletus.

Porrò hæc fusè ex Cyrillo recitata volumus, ut appareat, si quæ sunt, quæ paulò durius ab eo expressa videbuntur, ea cum grano falis esse accipienda: cum non solum attribuat Spiritui sancto vim sanctificandi, & vim illuminandi, quæ soli Deo conveniunt, sed etiam expressè asserat illum cum Patre & Filio honorandum; in illo æquè ac in Patre & Filio, spem nostram esse; illum non esse creatum, sed semper à Patre procedere; quod est Spiritum sanctum æternum esse, & Patri cœternum: illum immutabilem & inconvertibilem esse; cum è contra Angelus sit natura sua mutabilis & convertibilis, quia hoc creaturæ omni proprium est: illum cum Patre & Filio unum existere; illum cum Patre & Filio unam esse causam salutis nostræ: denique cum addat, neque separare Trinitatem, sicut separabant aliqui; neque contrahere, sicut contrahebat Sabellius; quod est æquivalenter confiteri in Deo Trinitatem personarum in unitate nature & essentiæ: nam Sabellius contrahebat Trinitatem, asserendo unicam personam: alii verò Trinitatem separabant, asserendo non solum tres personas, sed etiam tres naturas, tres essentias, ut Ariani; vel saltem duas naturas, unam increatam & divinam, Patri & Filio communem; alteram verò creatam, quæ rebus aliis omnibus à Deo conditis longè excelleret, ut Semitariani, qui cum Catholicis Filium Patri consubstantialem consentientes, contra Spiritum sanctum blasphemabant, eumque dicebant creaturam, adeoque naturam habere distinctam & diversam à natura divina, seu à natura Patris & Filii.

Nec suspicionem movere debet, quod subjicit S. Cyrillus: *Naturam autem vel subsistentiam Spiritus ne curiosè scrutaris: si enim ea descripta esset, dicereamus: quod autem scripsum non est, dicere non audeamus. Satis est nobis ad salutem scire, quod est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Non enim ita locutus est Cyrillus, quod esset dubius, vel incertus circa divinitatem Spiritus sancti, aut quod crederet naturam ejus vel subsistentiam esse profusè incognitam: sed solum voluit ne de natura & proprietatibus Spiritus sancti curiosè inquireretur, præter ea, quæ de illis in sacris literis revelata sunt; neque alia aut plura de Spiritu sancto asserantur attributa, quàm quæ de eo affirmantur in sacra Scriptura.*

3. Didymus Alexandrinus, qui tres pro Spiritus sancti divinitate libros conscripsit, in primo hæc inter alia notatu digna habet: *Cum alius sit Spiritus sanctus ab his, quæ ipse sanctificat, non est unius nature cum cæteris creaturis, quæ eum recipiunt. Si autem alterius est nature à creaturis, & in propria subsistit essentia, increatus & inefficulus ostenditur. Et inferius, in hæc Joëlis verba, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, &c. Ipsum effusionis nomen increatam Spiritus sancti substantiam probat. Neque enim Deus cum Angelum mittit, aut aliam creaturam, Effundam dicit de Angelomeo, &c. Et inferius:*

Una

Una gratia, Patris & Filii & Spiritus sancti operatione completa, trinitas unus substantie demonstratur ... in omnibus approbatur eandem operationem esse Patris & Filii & Spiritus sancti. Quorum autem una est operatio, una est & substantia ... liquido apparet, ejusdem natura Spiritum esse cum Filio, & cum Patre, cujus spiritus est. Porro Pater & Filius unus sunt. Igitur trinitas substantia unitate sociatur.

4. S. Gregorius Nazianzenus oratione in sanctam Pentecosten, in qua Spiritus sancti laudes egregie profecit, sic ait: Quid pluribus verbis opus est? Omnia quacumque Pater habet, sunt Filii, praterquam quod ingenuus non est. Omnia quacumque Filius, Spiritus sancti sunt, si generationem exceperis. Hec porro nequaquam substantiam fecerunt, ut quidem ipse sentio, verum circa substantiam sermuntur. Quid accuratius dici potuit ad conciliandam unitatem substantie cum reali distinctione & pluralitate proprietatum relativarum, seu personalitatum?

Superius dixerat: Qui Spiritum sanctum in creaturam ordinem dejiciunt, contumeliosus sunt, & scelerati servi, atque adeo sceleratorum sceleratissimi ... Qui autem Deum eum consensu, divini profecto viri sunt, atque illustri mente prediti. Qui vero non modo existimant, sed etiam asserunt, ac profitentur, siquidem apud aequos & probos auditores, sublimes & excelsi sunt: si autem apud abjectos, & humi proavolutos, haud satis prudentes, ut potest qui luto margaritam ... & lacte adhibentibus solidum cibum committant. Ex quibus apparet, tunc temporis etiam inter Catholicos nonnullos ex iis fortasse qui recens erant ex haeresi Macedoniana ad fidem conversi, extitisse, qui Spiritum sanctum expressè nuncupari Deum, moleste ferebant, quantumvis averfarentur eos, qui eum in creaturam ordinem redigerent.

5. S. Epiphanius haer. 74. ubi prolixè refutat Pneumatomachos, hæc habet inter alia: Neque verò solus Filius, sed & Spiritus sanctus in agendi communione cum Patre Filioque venit, & aequalia præstat, pro eo ac libet, communicans ac largiens: quippe cum & ipse verè ex Deo sit, nec alienus à Patre Filioque, sed utriusque consubstantialis ... Unicus ac singularis est Spiritus ille sanctus, qui ab omnibus adoratur, ab omnibus creaturis, operibusque desideratur ... Cum multi sint spiritus, omnibus iste superior est: ut potest qui semper à Patre sit, nec ab aliis, quæ è nihilo producta sunt, existat ... Sanctus Dei Spiritus à Deo est, & in Deo. Itaque & unigenitus Filius incomprehensibilis est: & Spiritus incomprehensibilis, qui & à Deo procedit, nec à Patre & Filio alienus est. Neque verò cum Patre & Filio velut quadam confusione coalescit: sed Trinitas semper ejusdem est substantia, non alterius à divinitate: neque divinitas altera est à substantia, sed ipsa per sese divinitas, & ex eadem divinitate Filius ac Spiritus sanctus existit.

6. S. Hieronymus in epistola ad Pammachium contra errores Joann. Hierosolymitani, recitat hæc ejus verba: Sanctam & adorandam Trinitatem, ejusdem substantie, & coeternam, ejusdem gloriæ & divinitatis credimus; inanebatizantes eos, qui grande aut parvum, aut inaequale, aut visibile in deitate Trinitatis quidquam loquuntur. Sed sicut incorporalem, invisibilem, & æternum dicimus Patrem: sic incorporalem, invisibilem, & æternum dicimus Filium & Spiritum sanctum. Tum statim subjicit: Nisi hoc diceret, Ecclesiam non teneret. Præterea, tres Didymi libros de Spiritu sancto, ut catholicam continentem doctrinam interpretatus est, & adoptavit S. Hieronymus, ut pater ex ejus ad libros illos præfatione.

7. S. Cyrillus Alexandrinus dialogo 7. de Trinitate, fusè probat de Spiritu sancto, quod Deus sit, & ex Deo secundum naturam. Et in capitibus argumentorum ejusdem dialogi sic loquitur: Si cum Spiritus sanctus divina in nobis dona operatur ut vult, Deus est, qui operatur omnia in omnibus, Deus nique & ex Deo secundum naturam est Spiritus. Et inferius: Si non aliter participes Dei esse possumus, quam per sanctum Spiritum, quomodo alienus à deitate censetur, qui Dei participet? *Simonet Theol. Tom. I.*

pes facit per se ipsum eos, in quibus est? Et inferius: Impie admodum agunt, qui aut sentire aut dicere audent, creatum & factum esse Spiritum. Quemadmodum enim aliud ab homine non est spiritus hominis, sic aliud non est à naturali & vero Deo spiritus ejus, quamvis in propria intelligatur subsistentia. Porro jam superius recitata sunt sufficientia testimonia Athanasii, Basilii, Ambrosii, & Augustini: quare ab illis hoc paragraphe iterum allegandis abstinemus.

8. Arnobius junior in lib. I. conflictus, qui est de Deo trino & uno, sic ait: Tunc integra in Deo divinitas non negatur, si Pater cum Filio & Spiritu sancto Deus unus penitus non negatur ... non expavesco incorporea exempla querentem, cum verum Patrem, verum Filium, verum Spiritum sanctum, verè tres, verè unum confitear omnipotentem, & credam ... Una deitas perfecta erit in fide nostra, cum perfectum Deum credemus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unam deitatis omnipotentiam obtinere.

9. Cerealis Africanus Episcopus in libro contra Maximinum Ariarium, probat c. 2. quod unus Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sit: c. 11. Quod Deus est Spiritus sanctus: c. 12. Quod Creator: c. 13. Quod vivificator est: c. 14. Quod propria potestatis & virtutis sui & omnipotens. Tum c. 15. sic argumentatur: Si Trinitas non est, quare dictum est: Hæc baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti? Si unitas non est, quare in uno nomine dictum est, & non, in nominibus?

10. Eugenius Carthaginensis cum cæteris Africae orthodoxis Episcopis, in sua fidei professione sic loquitur: Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum ita in unitate deitatis profitemur, ut & Patrem in sue proprietate persone subsistere, & Filium nihilominus in propria extare persona, atque Spiritum sanctum persone sue proprietatem retinere, fidei confessione fateamur. Non eundem asserentes Patrem, quem Filium, neque Filium confitemes, qui Pater sit aut Spiritus sanctus. Neque ita Spiritum sanctum accipimus, ut aut Pater sit, aut Filius; sed ingenuum Patrem, & de Patre genitum Filium, & de Patre & Filio procedentem Spiritum sanctum, unius credimus esse substantia vel essentia: quia ingenti Patris, & geniti Filii, & procedentis Spiritus sancti una est deitas, tres verò personarum proprietates.

11. Vigilus Tapensis Episcopus, qui duodecim de Trinitate libros edidit, sub nomine sancti Athanasii, sic r. lib. exorditur. Tu unus Deus Pater ingenuus, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, quia unam deitatem nobis declarasti, & sacrosanctæ solius divinitatis indivisam gloriam revelasti, & perfectam gloriam trinitatis tuæ, sempiternamque plenitudinem demonstrasti, ideo optimum duxi, &c. lib. 8. sic ait: Nos credimus tres personas, unam deitatem ... Confitemur Patrem in Filio, & Filium in Patre, cum Spiritu sancto. Non separatur unitas, non dividitur deitas ... Spiritus sanctus neque natus inaccessibilis, non factus, non creatus ... Si dixerò facturam, gentiliter quero: Gentes enim facturam manus adorant, & non factorem celi & terra ... De Patris & Filii virtute procedit Spiritus sanctus, ipsam virtutem deitatis habens ... Pater in Filio, & Filius in Patre: Spiritus autem sanctus conjunctio deitatis, virtus & unitas trinitatis. L. 12. totus est in probanda Spiritus sancti divinitate.

12. S. Paschasius, Diaconus Cardinalis, duos contra Macedonium libros scripsit, in quibus Spiritus sancti divinitatem probat variis argumentis. Sic v. g. lib. 1. c. 12. probat Spiritum sanctum esse Deum, ex eo quod sit ubique. Omnis, inquit, creatura, sicut temporum initiis subjacet, ita localis esse, certis spatiis & finibus circumscripta cognoscitur. Spiritus sanctus nullis terminis tanquam factura concluditur; Deus necesse est pro ipsa libertate diffusa majestatis habeatur, &c. S. Fulgentium paragraphe 1. jam citavimus.

13. S. Joannes Damascenus lib. 1. orth. fid. c. 10. hæc habet: In Spiritum sanctum credimus, qui Dominus est, & vivificat, qui ex Patre procedit, & in Filio conquiescit, qui cum Patre & Filio simul adoratur.

rit & conglorificatur, utpote consubstantialis & coaeternus, qui Dei spiritus est, rectus, principalis, sapientia: vita & sanctitatis fons, qui cum Patre & Filio Deus est & appellatur; qui increatus est, plenus, artifex, omnipotens, omnium effector, infinita potentia praeditus, rebus omnibus conditio imperans, nullius autem rei imperio parens: qui implet, non impletur: deificat, non deificatur: participatur, non participat: sanctitate afficit, non ipse afficitur... in propria hypostasi existens, à Patre & Filio inseparabilis, & nunquam egrediens; omnia habens, qua Pater habet & Filius, excepta ingenti ac genitae proprietate.

Patrum agmen claudet S. Bernardus, qui sic ait serm. 1. in festo Pentecostes: *Dulcissimum quiddam in Deo Spiritus sanctus est, benignitas Dei, & idem ipse Deus. Proinde sic celebramus sanctorum saemnia, quanto magis ejus, à quo habuerunt ut sancti essent, quotquot fuerunt sancti? Si veneramus sanctificatos, quanto magis ipsum sanctificatorem convenit honorari?*

§. IV.

Divinitas Spiritus sancti probatur auctoritate Conciliorum.

1. In Synodo quam mortuo Constantio, & Episcopis exulibus ab exilio revocatis à Juliano Imperatore, Alexandriae congregavit Athanasius & Eusebius Vercellensis, nascens Macedoniana haeresis proscripta est, & asserta Spiritui sancto divinitas: ibi enim definitum est Spiritum sanctum non esse creaturam, nec divisum à substantia Patris & Filii, sed verè consubstantialem esse Trinitatem. Patet ex epistola synodica, quae extat apud S. Athanasium, sub nomine epistolae ad Antiochenes. Idem testatur Socrates lib. 3. cap. 7.

2. Synodus Illyriciana, quam Valentinianus senior convocavit ex occasione adventus Eufathii Sebasteni & Elpidii Legati Pontificii in Illyricum, sic loquitur in sua ad Orientales epistola synodica: *Cum in unum convenissemus, & prolixam quaestio habita esset de salvandari Verbo, comprobavimus consubstantialem esse trinitatem Patris, ac Filii, ac Spiritus sancti... Quicumque non sentiunt consubstantialem esse trinitatem, anathema sunt. Et si quis cum illis communicare deprehensus fuerit, anathema esto. Illis vero qui consubstantialem predicant trinitatem, paratum est regnum colorum.*

Apud 1. hanc.
lib. 1. hanc.

3. Damasus in Synodo nonaginta Episcoporum ex Gallia & Italia, quam Romae collegerat, à Gallis & Venetensibus Episcopis admonitus, quod nonnulli adhuc in Illyrico Episcopi, rejecta Nicæna formula, Ariminensem profiterentur, hanc Ariminensem formulam reprobavit, Nicænam confirmavit, & definiit, *Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius deitatis, unius virtutis, & unius esse substantie.* Patet ex epistola synodica, quae extat apud Theodoretum lib. 2. hist. cap. 22.

4. In alia Synodo Romana, quam contra Apollinarem & alios haereticos convocaverat Damasus, pluribus canonibus asserta est sancti Spiritus divinitas: in ea enim anathematizati sunt, qui dicerent *Spiritum sanctum esse creaturam, & non dicerent, semper Patrem, semper Filium, semper Spiritum fuisse & esse: Spiritum sanctum de Patre esse verè ac propriè, sicut Filium, de divina substantia, & Deum verum: omnia posse Spiritum sanctum, omnia nosse, & ubique esse, sicut Filium & Patrem: Patris & Filii & Spiritus sancti unam divinitatem, potestatem, majestatem, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem, ac veritatem: tres personas veras, Patrem, & Filium, ac Spiritum sanctum, equales, semper viventes, omnia continentes visibilia & invisibilia, omnipotentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia salvantes: Spiritum sanctum ab omni creatura adorandum, sicut Filium & Patrem: Patrem, Filium & Spiritum sanctum, propter unam & equalem divinitatem, unum Deum esse.* Patet ex epistola synodica, quae extat apud Theodoret. l. 5. hist. Eccl. c. 11.

5. Anno 381. centum & quinquaginta Episcopi ex iis qui *omnison* Trinitatem profitebantur, eos per litteras invitante Theodosio seniore, Constantinopolim convenerunt; synodum celebrarunt; canones aliquot ediderunt, in quorum primo Nicænam fidem confirmarunt, & cum Arianis, Eunomianis, Sabellianis, Marcellianis, Phorinianis, & Apollinaristis anathematizarunt Macedonios seu Pneumatomachos. Denique symbolum ediderunt, in quo dicitur: *Credimus in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: qui locutus est per sanctos Prophetas.* Quibus verbis, non expressè quidem, sed æquivalenter asseritur & definitur Spiritus sancti divinitas. Ab eo autem expressè nuncupando Deo abstinerunt per prudentem quandam œconomiam, videlicet ut hoc pacto facilius ab hæresi ad rectam fidem revocari possent Macedoniani; ex quorum secta hoc eodem anno Constantinopolim ab Imperatore acciti, venerant triginta-sex Episcopi, & ab eodem Imperatore ad ineundam cum reliquis communionem frustra invitati, abcesserant, si credimus Socrati, hoc factum narranti lib. 5. cap. 8. Idem narrat Sozomenus lib. 6. cap. 7. ambo corrigendi in eo, quod dicunt Macedonios illos Episcopos Filium Patri consubstantialem dicere, pertinaciter renuisse: Macedonios enim Filium unius cum Patre substantia, cum Catholicis confessos esse, suo loco demonstratum est.

6. Anno 382. Damasus Romæ Occidentalium Episcoporum congregavit Synodum, in qua Symbolum, à Constantinopolitana Synodo anno superiore editum, confirmatum est, atque ita ex utraque Synodo, Romana & Constantinopolitana, in unam coalescentibus, facta est Synodus totius orbis Christiani, seu Synodus, quae secundum inter œcumenicas locum hætenus obtinuit, sub nomine Constantinopolitanae Synodi.

7. Eodem anno 382. iterum Constantinopolim iidem Episcopi, licet non omnes, qui anno superiore celebrarant Synodum, convenere, à Theodosio, rogante Damaso, per litteras convocati, ibique repererunt Damasi litteras, quibus ad Romanam Synodum vocabantur. Acto Concilio, quae circa fidem anno præcedente sanciverant, confirmarunt, synodicam ad Damasum & Episcopos Romæ congregatos scripserunt epistolam, quam per tres Legatos miserunt, & in qua profitentur se credere in nomine Patris, & Filii, & Spiritu sancto, unam scilicet deitatem, & potentiam, ac substantiam Patris, Filiique, & Spiritus sancti credentes, æqualem item dignitatem, & coeternum imperium in tribus perfectis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis, Extat epistola apud Theodoretum, lib. 5. hist. Eccl. cap. 9.

8. Secundæ Synodi œcumenicæ fidem circa Spiritus sancti divinitatem magno consensu amplexæ sunt Synodi tum generales, tum particulares, quae secutæ sunt, ut videre est disputatione 1. Porro pro divinitate Spiritus sancti Nicænum etiam Symbolum citare potuimus: quamquam in eo pro illa nihil in particulari sancitum fuerit, eò quod illam Arius non impugnaret expressè. Nam Nicæni Patres manifestè supponunt, Spiritum esse Deum, eum dicunt: *Credimus in Deum Patrem omnipotentem... & in Dominum Jesum Christum Filium Dei... & in Spiritum sanctum: nunquam enim Patri & Filio creaturam annuerant; nec illud, & in Spiritum sanctum, addidissent, nisi consubstantialem credidissent Trinitatem.*

Præterea, cum Patres tam de Spiritu sancto, quam de Patre & Filio, dicunt, quod in illum credant, illum aequè, ac Patrem, ac Filium apertè significant Deum esse: nam credere in aliquem, specialem habet energiam, & ad eum solum, qui verè Deus est, pertinere potest propriè. Audiamus hac de re Paschafum in præfatione: *Agnoscamus, inquit, Verbi ipsius privilegium. Credere illi quilibet potest hominum. Credere verò in illum, soli debere te majestati novèris. Sed & hoc ipsum aliud est, Deum credere, aliud est credere in Deum. Esse Deum & diabolus credere dicitur...*

In

In Deum verò credere, nisi qui pie in eum speraverit, non probatur. In Deum ergo credere, hoc est fideliter eum querere, est tota in eum dilectione transire. Credo ergo in illum, hoc est dicere, Confiteor illum, cola illum, adoro illum, totum me in ius eius ac dominium trado, atque transfundo. In professionis hujus reverentia univèrsa divino nomini debita continentur obsequia.

Accedit authoritas sancti Athanasii, cui Nicænorum Patrum mentem exploratissimam fuisse, nemini licet ambigere. Hic autem in synodica ad Jovianum Imperatorem epistola, eos, qui in Spiritum sanctum blasphemabant, asserentes eum creaturam esse, & à Filio factum, tamquam Nicæne fidei violatores accusat, & pravo Consubstantialitatis interpretes. *Quidam, inquit, Arianam heresim renovare cupientes, hanc à Patribus Nicæe confessam fidem incipere contemnere, præ se ferentes quasi ab ea non dissentiant, cum interim revera eam inficiuntur, malè interpretantes Consusubstantialitatem; & blasphemias dicentes in Spiritum sanctum, quem creaturam, & à Filio conditum asseverant.*

Denique potuimus pro divinitate Spiritus sancti allegare Synodum Romanam sub Dionysio Romano Pontifice in causa Dionysii Alexandrini Episcopi: in hac enim Synodo asserita est Spiritus sancti divinitas, cum in ea damnatus est error eorum, qui Trinitatem in tres essentias distinctas & diversas separarent, contra quos definitum est, unam esse trium personarum essentiam, & tres personas unum esse Deum. Vide disp. 1.

Porrò ex dictis hactenus breviter adhuc pro Spiritu sancto argumentum præscriptionis eformamus in hunc modum. Quòd Spiritus sanctus sit Deus, fuit Ecclesiæ fides quarto, imò & tertio sæculo: qui enim tunc temporis Spiritum sanctum negarunt esse Deum, ab Ecclesiâ damnati, & diris devoti sunt. Ergo quòd Spiritus sanctus sit Deus, fuit etiam fides Ecclesiæ duobus prioribus sæculis: alioqui dicatur, quando, ubi, quo autore, quibus adversantibus, circa Spiritum sanctum mutata sit Ecclesiæ doctrina. Dicatur, quando, ubi, quo autore, Ecclesiâ cœperit Spiritum sanctum credere Deum, cum antea eum creaturam crederet. Horum autem nihil unquam dici poterit: talis enim mutationis nullum prorsus extat vestigium. Ergo Ecclesiâ semper creditur Spiritum sanctum esse Deum, & cum Patre ac Filio unum Deum.

§. V.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Spiritus sanctus per Verbum factus est. Ergo Verbi creatura est. Ergo non est Deus. *R. neg. ant. Probabis ex c. 1. Joan. ubi dicitur, Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt.* Ergo, &c. *R. neg. confeq.* Nam Scriptura non dicit omnia omnino, quæ sunt, facta esse per Verbum: alioquin etiam Pater ipse per Verbum factus esse dicendus esset, quod est absurdum. Solum itaque dicit Scriptura, omnia, quæ re ipsa facta sunt, facta esse per Verbum, ut ostenditur ex integro textu: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, &c.* Sic enim legendum, non verò: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat,* cum multis Patribus arbitramur, nonnullis tamen contrarium sentientibus. Sed quidquid sit, planè certum & indubitatum est apud Patres omnes, tota omnia in textu, qui obijciunt, sumi debere in suppositione restricta, nec Spiritum sanctum, sicut nec Patrem, comprehendere. Nam, ut ait Didymus lib. 1. de Spir. sanct. Spiritus sanctus non est unum ex omnibus, quæ scilicet facta dicuntur per Verbum, sed aliud extra omnia per substantiam.

Obj. 2. Qui minor est Deo, non est Deus. Sed Spiritus sanctus minor est Deo: nam minor est Patre & Filio, qui sunt Deus. Ergo, &c. *R. neg. min. & prob. ejus. Probabis.* Qui mittitur, minor est eo à quo mittitur. Sed Spiritus sanctus mittitur à Patre & Filio, juxta illud Joan. c. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem*

Simone Theol. Tom. 1.

ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. Ergo, &c. *R. neg. maj. sumptam universaliter.* Is enim tantum, qui per imperium mittitur, minor & inferior est eo, à quo mittitur. Sanctus autem Spiritus non mittitur à Patre & Filio per imperium, ut mittitur servus à domino, famulus ab herede, subditus à Rege. In tantum enim dicitur mitti à Patre & Filio, in quantum ab utroque procedens, in tempore incipit esse in creatura novo modo: nam in divinis missio nihil aliud est, quam personæ ab alia procedentis præsentia in creatura per effectum aliquem temporaneum, qui personæ illi specialiter attribuitur propter specialem aliquam ejus notionem.

Obj. 3. Spiritus sanctus, quod scit, ab alio didicit, & quod habet, ab alio accepit, juxta illud Joan. cap. 16. *Non loquetur à semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Ergo, &c. *R. neg.* Spiritum sanctum didicisse ea, quæ scit: sanctus enim Spiritus scientiam, quam habet, à Patre & Filio non accepit per doctrinam, sicut discipulus à Magistro, aut per infusionem, sicut Adamus in sui creatione accepit à Creatore; sed accepit ab utroque, absque ulla dependentia procedendo, & per processionem accipiendo totam substantiam divinam, quæ per se ipsam omnium scibilibus notitia est. Hoc modo per processionem ab utroque accipit, quidquid habet, imò & quidquid habent, excepta paternitate, & filiatione, cum inspiratione activa, quibuscumque realia habet oppositionem. Sic autem ab illis accipit, ut nihil illis debeat, nec æstimabilius sit in Patre & Filio, dare Spiritui sancto, quam in Spiritu sancto, quidquid habet, accipere à Patre & Filio.

His consonat S. Augustinus tract. 99. in Joann. ubi fatetur horum Christi verborum, *Non loquetur à semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur,* arduam esse interpretationem, quia Spiritus sanctus neque homo, neque Angelus, neque alia creatura factus est, hypostaticè scilicet assumendo humanam, vel angelicam, aut aliam creaturam naturam: tum illa interpretatur: *Sic itaque, inquit, debemus accipere, quod de Spiritu sancto dictum est: Non enim loquetur... ut intelligamus non esse à semetipso. Pater quippe solus de alio non est; nam & Filius de Patre natus est, & Spiritus sanctus de Patre procedit. Pater autem nec natus est de alio, nec procedit. Nec ideo sanè aliqua disparilitas in summa illa Trinitate cogitationi occurrat humana. Nam & Filius ei, de quo natus est, & Spiritus sanctus ei, de quo procedit, equalis est... Non ergo loquetur à semetipso (Spiritus sanctus,) quia non est à semetipso; sed quaecumque audiet, loquetur, ab illo audiet, à quo procedit. Audire illi scire est: scire verò esse. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo, à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia.*

Difficultati autem, quæ ex verbo futuri temporis, *Audiet,* formari potest, sic occurrit: *Nec moveat, quod verbum futuri temporis positum est: non enim dictum est, Quaecumque audivit, aut quaecumque audivit; sed quaecumque audiet, loquetur. Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna est scientia. In eo autem, quod sempiternum est, sine initio & sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive presentis, sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis & ineffabilis, non recipiat *Fuit & Erit, sed tantum Est*... tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, *Et fuit, & erit, & est. Fuit in præteritis sæculis, est in presentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit: erit, quia nunquam deerit: est, quia semper est... Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit. Ergo & scivit, & scit, & sciet; ac per hoc & audivit, & audit, & audiet; quia, sicut jam diximus, hoc est illi audire, quod scire, & scire illi hoc est, quod esse. Ab illo igitur audivit, audit, & audiet, a quo est: ab illo est, a quo procedit.**

Porrò ibidem docet Spiritum sanctum non solum à

Patre, sed etiam à Filio procedere. *Cur ergo non credamus, inquit, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus; cum Filius quoque ipse sit Spiritus? Si enim non ab eo procederet, non post resurrectionem se representans discipulis suis, insufflans diceret: Accipite Spiritum sanctum. Quid enim aliud significavit ista insufflatio, nisi quod procedat Spiritus sanctus & de ipso? Sensit igitur nobiscum Augustinus Spiritum sanctum ab utroque, Patre scilicet & Filio, audire & accipere in sensu explicato; quamvis tract. 100. illud Christi, Quia de meo accipiet, interpretetur de processione Spiritus sancti, non à Filio, sed à Patre, quia nimirum Christus non dixit, de me, sed, de meo. Hæc autem sunt ejus verba: Quid vultis amplius? Ergo à Patre accipit Spiritus sanctus, unde accipit Filius: quia in hac Trinitate de Patre natus est Filius, de Patre procedit Spiritus sanctus. Qui autem de nullo natus sit, de nullo procedat, Pater solus est.*

Obj. 4. Si Spiritus sanctus Deus est, vel ingenuus est, vel genitus. Non primum: alioqui in Deo duo sunt ingenui. Non secundum: natus ingenuus est, vel genitus est à Patre, & tunc, duo sunt Filii: vel genitus est à Filio, & tunc Pater nepotem habet. R. neg. seq. maj. Nam ut Spiritus sanctus sit verus Deus, necesse non est, ut sit ingenuus aut genitus, sed sufficit si procedat à Patre & Filio in identitatem substantiæ, seu ut ab utroque, non de non exstantibus, sed de utriusque substantia producat. Sic autem à Patre & Filio producit Spiritus sanctus: nam Pater & Filius, sese mutuo redamantes, produunt personam, quæ vi suæ processions, per se primò est amor ille, quo se mutuo redamant, adeoque per identitatem est illud omne divinum, cui amor ille, quo se mutuo redamant Pater & Filius, identificatur; & quocum ipsa non habet oppositionem relativam, quod est habere totam Patris & Filii substantiam. Hæc autem persona Spiritus sanctus est, qui proinde sic à Patre & Filio procedit, ut procedendo totam utriusque substantiam accipiat, seu, ut idem est, de tota utriusque substantia producat.

Dices. In creatis nihil est, quod ab alio procedat in identitatem substantiæ, quin ab eo generetur. Ergo etiam in divinis gratis & sine fundamento asseritur una persona in identitatem naturæ procedere ab alia, à qua tamen non generatur. R. neg. conseq. quæ & iniqua & absurda est. Audiamus Gregorium Nazianzenum, proponentem & exsultantem hanc instantiam, orat. de Spiritu sancto. quæ est quinta de Theologia: Quid ergo, Spiritus sanctus est Deus à Maximo. Consubstantialis igitur? Provisus, siquidem Deus. Da igitur mihi, inquit, ex eodem alterum Filium, alterum, qui filius non sit, & tamen ejusdem cum illo substantia: ac Deum & Deum admittam. Da tu quoque mihi Deum alium, Deique naturam, & tibi trinitatem aliam cum iisdem nominibus ac rebus dabo. Cum vero Deus unus sit, atque una suprema natura, unde eandem similitudinem tibi representabo? An rursus postulas ex terrenis rebus atque humanis eam duci? Valde profecto turpe est, nec turpe dumtaxat, sed etiam admodum stultum & inane, ex humilibus rebus superarum celestiumque simulacrum sumere, &c.

Obj. 5. Spiritus sanctus in sacris literis nec Deus nominatur, nec adorari dicitur, aut jubeatur, nec quicquam eum adorasse, aut ei supplicasse legitur. Ergo sine fundamento asseritur Deus. R. ad 1. partem ant. 1. falsum esse, quod in sacris literis Spiritus sanctus non nominetur Deus, ut patet ex §. 1. prob. 1. 2. dato, quod Spiritus Sanctus non nominetur Deus in sacris literis, saltem, quod sufficit, sacras literas ei passim attribueri ea, quæ nulli creaturæ, & soli Deo convenire possunt, ut fusè superius ostensum est.

Ad reliquas antecedentis partes R. non omnia, quæ tamen sunt de fide, scripta esse; præter Verbum divinum à sacris Authoribus scripro mandatum, aliud extare non scriptum, sed viva voce traditum Ecclesiæ, & parem cum scripto habens auctoritatem. Sic docet S. Basilius lib. de Spir. sancto. c. 27. Dogmata, inquit, quæ

in Ecclesia prædicantur, quedam habemus è doctrina Scriptorum prodita, quedam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recipimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica.

Quod autem Spiritus sanctus, perinde atque Pater & Filius, adorari possit & debeat, docet verbum non scriptum, seu traditio, cujus planè indubitatum argumentum est perpetua Ecclesiæ consuetudo in adhibenda hac glorificationis formula, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, seu, quod idem est, Gloria Patri, & Filio, cum Spiritu sancto: nam conjunctio, &, & præpositio, cum, eandem planè vim habent, ut notat S. Basilius lib. de Spir. sancto. c. 27. Hæc porrò glorificationis formula in Ecclesia tum Orientali tum Occidentali usitatissima fuit, saltem quarto sæculo, ut restatur S. Basilius lib. de Spir. sancto. c. 29. & hæcenus receptissima est: imò in Ecclesia etiam tribus prioribus sæculis receptam & usitatum fuisse, idem S. Doctor eod. cap. probat auctoritate veterum, Africani scilicet historici, Gregorii Thaumaturgi, Firmiliani, & Dionysii Alexandrini, cujus secundæ ad cognomen Romanum Episcopum epistolæ hæc refert verba: His congruenter & nos, etiam forma regulæque à senioribus, qui ante nos vixerunt, accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agere, ac etiam vobis nunc scribere desinemus: Deo autem Patri & Filio Domino nostro Jesu Christo cum sancto Spiritu gloria & imperium in sæcula seculorum. Ex quibus sic concludit idem S. Doctor: Igitur apud cordatos homines ad purgationem mei sufficiunt hæc, quæ dicta sunt, quod recipimus vocem (nempe præpositionem, cum, in glorificatione) adeo gratam & amicam sanctis, in super & tam diutino usu comprobata, quæ ex quo tempore annunciatum Evangelium usque ad presens, demonstratur in Ecclesiis usitata fuisse.

Dices. Prioribus Ecclesiæ sæculis fuit etiam valdè usitata hæc glorificandi formula: Gloria Patri & Filio in Spiritu sancto. Qua formula Spiritus sanctus non annumeratur, sed solum subnumeratur Patri & Filio. R. hoc negando; nam præpositio, in, eandem habet energiam, quam præpositio, cum, & conjunctio, &, ut ostendit S. Basilius lib. de Spir. sancto. c. 25. ubi sic loquitur: Ergo nequaquam dixerim banc syllabam, in, significare sensum minus honorificum; imò potius, si sanè accipiamur, ad maximam Spiritus celestium erigere mentem; quandoquidem observavimus hanc frequenter usurpari pro, cum, in scripturis. Quod adhuc probat inductione.

Porrò simili modo solvenda est hæc objectio: In Scripturis de Patre dicitur ex quo, de Filio per quem, de Spiritu sancto in quo. Ergo sunt inter se diversi & inæquales. Nam conclusio neganda est, quia voces ex quo, per quem, in quo, eandem vim habent in Scripturis, cum de eadem persona dicantur. Quoniam, inquit Apostolus, ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula.

Obj. 6. Spiritus sanctus capax est doloris & gemituum. Ergo non est Deus. R. neg. ant. Prob. Rom. c. 8. dicitur: Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ergo, &c. R. neg. conseq. Sensus enim verborum Apostoli est, quod Spiritus sanctus per interiorum gratiam, hoc est, per illustrationem & inspirationem doceat, & moveat nos efficaciter ad orandum & gemendum sicut oportet ad salutem. Sic Apostolum interpretatur S. Augustinus in lib. contra sermonem Arrianorum c. 25. Non ergo, inquit, scimus per nos ipsos, quid oramus sicut oportet, sed ipse Spiritus interpellat, id est interpellare nos facit, quæ sunt secundum Deum. Quod nisi faciat, non oramus nisi secundum istum mundum.

ARTICULUS III.

Utrum tres personæ divinæ sint unus Deus.

RESPONSIO.

Tres Personæ divinæ sunt unus Deus.

Est de fide contra Trithēitas, & eorum parentem Philoponum Alexandrinum, qui sexto seculo, dum quosdam hæreticos acriter insectaretur, ipse in hæresim lapsus est, docendo tres personas divinas esse tres Deos. A Trithēitis voce tenuis dissenfit Joachimus Abbas sæculo duodecimo, asserendo tres personas esse quidem unum Deum, sed unitate logica, vel collectionis tantum, sicut plures homines sunt unus homo, vel plures fideles una Ecclesia; non verò unitate numerica: volebat enim in Deo non solum esse tres personalitates, sed etiam tres essentias, seu naturas, numero distinctas. Sed contra illos omnes,

Prob. Resp. 1. ex Script. Nam Christus Matth. c.28. dicit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Unum igitur est nomen autoritatis, scilicet, virtutis, essentiae & divinitatis trium personarum, hoc est, una trium personarum est autoritas, virtus, essentia, divinitas. Ergo tres personæ sunt unus Deus. Præterea, ex Scriptura habemus duo. 1. Quòd Pater sit verus Deus, quòd Filius sit verus Deus, quòd Spiritus sanctus sit verus Deus. 2. tamen quòd unicuique sit verus Deus. Nam dicitur Deut. cap.4. Ipse est Deus, & non est alius præter eum. Et Isaia c.43. Ego sum Dominus, & absque me non est Deus. Ergo Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt unus Deus. Quòd autem Scriptura loquatur de unitate numerica, patet tum ex traditione Patrum, tum ex iudicio Ecclesiæ, quæ eorum, qui hanc unitatem tollere, vel aliam inducere tentarunt, doctrinam condemnavit. Sic Joachimi sententiam damnavit Synodus Lateranensis quarta, cap.2. ubi definitur trium personarum essentiam seu naturam numero unicam esse, & eos, qui Joachimi doctrinam in hac parte defendere, vel approbare præsumperint, tamquam hæreticos ab omnibus esse confutandos.

Prob. 2. autoritate Patrum Græcorum. Ad instar omnium nobis erunt Athanasius in epistola ad Serapionem de Spir. sanct. Sancta, inquit, & beata Trinitas, indivisa est, & unita in se, & ubicumque Pater dicitur esse, una est cum eo & ipse Verbum, & in Filio Spiritus. Una est deitas, & unus Deus, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus. Gregorius Nazianzenus in orat. quæ est prima de pace: Trinitas, inquit, illis (sanctis Angelis) Deus unus est, & esse creditur, non minus propter concordiam, quam propter substantiam identitatem. Epiphanius her.62. num. 3. Unum, inquit, esse re vera Deum, neque præter hunc alterum, manifeste communis Ecclesiæ consensu proficitur. ... Monarchiam predicamus. ... sed una Trinitatem confitemur, unitatem, inquam, in trinitate, & trinitatem in unitate, unamque Patris & Filii ac Spiritus sancti divinitatem. Cyrillus Alexandrinus l. 9. in Joann. In unam, inquit, deitatis naturam conveniente, collectaque sancta Trinitate, unus in nobis est Deus. Et Sophronius in sua ad Sergium epistola, quæ extat in actione II. Synodi sextæ: Trinitatem, inquit, in unitate credimus, & unitatem in trinitate glorificamus: trinitatem quidem ob tres substantias; unitatem verò ob singularitatem divinitatis.

Prob. 3. autoritate Latinorum Patrum, pro quibus omnibus sint Ambrosius lib.2. de fide: Unus & solus Deus. ... unus Deus, non ut ipse sit Pater & Filius, sicut impius Sabellius asserit, sed quia Patris & Filii Spiritusque sancti una divinitas sit. Augustinus lib.1. de Trin. c. 4. Omnes, inquit, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, divinorum librorum veterum & novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quòd Pater & Filius & Spiritus sanctus, unius

Simonet Theol. Tom. I.

eiusdemque substantiæ, inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus. Et S. Fulgentius in resp. ad septimam objectionem Arianorum, ubi postquam probavit unam esse naturam & essentiam divinam, sic concludit: Digne itaque Patrem & Filium & Spiritum sanctum, personarum proprietate servata, unum colimus Deum.

Prob. 4. autoritate Conciliorum. 1. Synodus Romana sub Damaso contra Apollinarem congregata, in suis anathematismis sic ait: Si quis non dixerit Patris & Filii & Spiritus sancti unam divinitatem, potestatem, majestatem ... anathema sit. ... Si quis partiat divinitatem, singillatim Deum Patrem dicens, & Deum Filium ejus, & Deum Spiritum sanctum, asseritque Deos dici, & non Deum, propter unam divinitatem ac potentiam, quam credimus & scimus, Patris & Filii ac Spiritus sancti, Deum unum in tribus personis ... anathema sit. Nomen namque Deorum & Angelis & Sanctis omnibus à Deo est impostum & donatum. De Patre autem & Filio & Spiritu sancto, propter unam & aequalem divinitatem, non nomen Deorum, sed Dei, nobis ostenditur. Hæc est ergo salus Christianorum, ut credentes Trinitati, id est, Patri & Filio & Spiritui sancto, & in eam baptizati, veram solamque divinitatem, potentiam, majestatem, & substantiam ejusdem sine dubio credamus.

2. Toletana Synodus sexta, in professione fidei hæc habet: Credimus & profitemur sacratissimam & omnipotentissimam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum Deum solum, non solitarium, unius essentia, virtutis, potestatis, majestatis, uniusque natura, discretam inseparabiliter personis, indiseretam essentialiter substantia deitatis. ... In hac autem Trinitate tanta est unitas substantiæ, ut pluralitate careat, & aequalitatem teneat. Nec minor in singulis, quam in omnibus, nec major in omnibus, quam in singulis personis manet.

3. Toletana undecima sic loquitur: Confitemur & credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius substantia, unius natura, unius quoque majestatis atque virtutis. Et inferius: Cum relative tres personæ dicantur, una tamen natura vel substantia creditur. Nec sicut tres personæ, ita tres substantias predicamus: sed unam substantiam, tres autem personas.

4. Synodus Mediolanensis sub Mansuetio in expositione fidei, ad Constantinum Pogonatium missa, dicit: Profitemur nos credere indivisibilem Trinitatem, hoc est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum Deum, ita unum ut trinum, & ita trinum ut unum: Trinitatem in distinctis atque discretis personis, hoc est, Patrem ex quo omnia; Filium, per quem omnia; Spiritum sanctum, in quo omnia; unius tamen divinitatis, unius essentia, uniusque substantia: in tribus quidem subsistentibus seu personis, ut Pater pater sit, Filius filius sit, Spiritus sanctus spiritus sanctus sit: in una natura unaque substantia, ut Deus unus & solus & summus credatur: non tres naturas introductes, ut Arius, &c.

5. Synodus Romana sub Agathone, in sua ad eundem Constantinum synodica epistola ita loquitur: Credentes in Deum Patrem omnipotentem ... & in Filium ejus unigenitum ... & in Spiritum sanctum ... trinitatem in unitate, & unitatem in trinitate: unitatem quidem essentia, trinitatem verò personarum sive subsistentiarum: Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: non tres Deos, sed unum Deum, Patrem & Filium & Spiritum sanctum: non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam substantiam; quorum una essentia, sive substantia, vel natura, id est, una deitas, una aternitas, una potestas, unum imperium, una gloria, una adoratio, &c.

6. Lateranensis quarta generalis cap.1. ait: Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus ... Pater & Filius & Spiritus sanctus: tres quidem personæ, sed una essentia, substantia seu

Arud Theol.
dor. l. 5. hist.
c. 111.

natura simplex omnino ... Hæc sancta Trinitas secundum substantiam communem individua, & secundum personales proprietates discreta, per Moysen & sanctos Prophetas doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et c. 2. sic contra Joachimum pronunciat: Credimus & confitemur quod una quedam summa res est que veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres simul persone, & singularim qualibet earumdem: & ideo in Deo trinitas est solummodo, non quaternitas; quia quelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia sive natura divina, que sola est universorum principium. In Deo igitur non est plerumque naturarum collectio, sed una singulariter natura, communis tribus personis, que proinde unam singulariter divinitatem habent, adeoque sunt unus singulariter Deus.

Obj. 1. Usus invaluit in universa Ecclesia, ut dicantur tres hypostases. Ergo tres sunt substantia seu essentia divina. Ergo tres sunt Dii. R. neg. conseq. utramque. Nam in universa Ecclesia usus sensim invaluit, ut dicantur tres hypostases, quia usus sensim invaluit, ut vocabulum hypostasis accipiatur tantum pro substantia, seu pro re per se existente & subsistente, que in rationalibus Persona nuncupatur. Itaque cum dicimus esse in Deo tres hypostases, non tres essentias seu naturas dicimus, sed tres res relativas, per se subsistentes, tres personas.

Porro sub Constantii obitum, circa vocabulum hypostasis exortum est grave dissidium inter Catholicos Antiochenos, quorum alii nuncupabantur Eustathiani, quibus Paulinum Episcopum ordinavit Lucifer Calaritanus; alii vero Meletiani, qui parebant Meletio, qui cum ab Ariano Antiochiæ Episcopus ordinatus esset præter omnium expectationem, justus à Constantio quid de Verbo sentiret, pro concione differere, illud Patri consubstantiali professus est, & propter hanc professionem aliquantulum post à suis promotoribus Antiochia ejectus, & pulsus in exilium. Exulante igitur Meletio, Meletiani vehementer altercati sunt cum Eustathianis; his unam tantum hypostasim dicendam esse contendentibus, dum illi tres esse dicendas contenderent.

Ex utraque factione aliqui cum venissent ad Synodum Alexandrinam, quam convocavit Athanasius & Eusebius Vercellensis, & ab Episcopis interrogati & auditi fuissent, deprehensus est, meram esse de voce controversiam; iis, qui unam tantum dicebant hypostasim, nomine hypostasis usum sive naturam intelligentibus; illis vero, qui tres hypostases dicebant, hypostasis nomine significantibus subsistentiam: ita ut hi, Arium detestantes, cum tribus hypostasis unam usum; illi vero, execrantes Sabellium, cum una hypostasi tres per se existentes profiterentur. Quare Synodus singulis liberam reliquit unius vel trium hypostaseon usurpationem; statuitque ut ab iis, qui communionem ecclesiasticam expeterent, non aliud exigeretur quam ut detestarentur omnes hæreses, Arianam scilicet, Sabellianam, Samosatenam, &c. execrarentur eos, qui dicerent Spiritum esse creaturam, & divisum à substantia Filii, atque Nicenam fidem eamque solam admitterent & confiterentur.

His sapienter ab Alexandrina Synodo constitutis, sublata non est discordia, sed diu postea eadem contentiones inter Catholicos Antiochia agitate sunt. Patet ex Hieronymi ad Damasum epistola, que incipit, *Quoniam vetusto*, & ex qua apparet eum à Meletianis vexatum esse, quod tres hypostases nollet dicere. *Post Nicenam fidem, post Alexandrinum, juncto pariter Occidente, decretum, trium hypostaseon ab Arianorum presule* (sic vocat Meletium, qui ab Ariano ordinatus fuerat Episcopus (*Camperisibus*) sic vocat Antiochenos qui Meletium sequebantur, & qui cum eo post ejus ab exilio reditum conventus suos extra urbem agere coacti fuerant,) *novellum à me, homine Romano, nomen exigitur Interrogamus quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes, ajunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus,*

ipsum nomen efflagitant: quia nescio quid veneni in syllabis later. Clamamus: Si quis tres hypostases, aut tria enypostata, hoc est, tres subsistentes personas non confiteretur, anathema sit. Et quia vocabula non ediscimus, hæretici judicamur.

Tres autem hypostases dicere verebatur Hieronymus, tum quia Meletii & Meletianorum fides ei suspecta erat; tum quia, ut ait in eadem epistola, *tota secularium litterarum schola nihil aliud hypostasin nisi usum norat; tum quia ad veræ fidei professionem sufficiebat dicere unam substantiam, & tres personas per se subsistentes. Quare nollebat dicere tres hypostases, nisi juberet dici Romanus Pontifex. Sufficiat nobis dicere, unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, aequales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur Aut si rectum putatis tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum sub melle later.* Porro errabat Hieronymus errore facti, 1. In eo quod malè suspicabatur de fide Meletii, & eorum, quibus præerat; erant enim verè orthodoxi, ut patet ex præfate synodi Alexandrinæ Synodica epistola, que Meletianos Arianam hæresim execratos esse testatur, & ex iis que ab Ariano passus est Meletius; atque ex facto Basilii, Gregorii Nazianzeni, aliorumque orthodoxorum Orientis Episcoporum, Athanasio cum suis Ægyptiis excepto, qui cum Meletio communicabant, nec tamen cum Ariano Episcopo communicassent. 2. In eo, quod non advertebat usum in exteriorum schola semper aut saltem communiter acceptam esse, non pro substantia communi, quam secundam vocant, sed pro substantia prima, singulari, individua, & per se subsistente.

Hieronymus in eadem epistola hæc habet verba notatu digna: *Non novi Vitalem, Meletium respicio, ignoro Paulinum.* Ex quibus apparet tunc temporis Antiochiæ tres fuisse Episcopos, Meletium, Paulinum, & Vitalem. Meletius cum suis tres hypostases defendebat. Vitalis, qui à Meletio, cujus fuerat Presbyter, ad Appollinarem defecerat, & Antiochenorum Appollinaristarum creatus fuerat Episcopus, rectè sentiebat de Trinitate, & Meletio de tribus hypostasis assensum sentiebat. Paulinus, Eustathianorum Episcopus, Alexandrinæ Synodi decreto consenserat, & fidei professionem ediderat, que extat apud S. Epiphanium, hæc. 77. num. 21. & in qua simul trium hypostaseon & unius hypostasis secundum expositiones in Alexandrina Synodo factas doctrinam amplectebatur. Damasus & aliorum Occidentalium Episcoporum communionem obtinuerat, cum eo communionem etiam iniere Athanasius & Epiphanius, quos securus est Hieronymus, qui & à Paulino ordinatus est Presbyter.

Porro professionem edendi Paulino occasio fuit, quod eum coram S. Epiphanio Vitalis Sabellianismi accusasset. Unde facile colligit eum eatenus unam tantum hypostasim dixisse, & tres rejecisse; quod confirmatur ex Theodoro lib. 5. hist. c. 3. ubi Flavianus Meletii Presbyter, & ejus postea successor, Paulino jactanti communionem Damasus coram Sapere Magistro Militum, objectat quod rejiceret tres hypostases, quas tamen dièrte prædicabat Damasus. Paulinus igitur diu post Alexandrinam Synodum unam tantum in Deo hypostasim professus est, sed tandem ad amovendum à se Sabellianismi suspensionem, professionem fidei ediderat, & unam ac tres hypostases secundum interpretationes Alexandriæ factas comprobavit, cum ad Damasum scripsit Hieronymus.

Denique Meletianorum sententia, quam etiam Basilii & Epiphanius amplexi sunt, & defenderunt, sensim prævaluit. Nam Episcopi Constantinopolim anno 382. convocati, in sua ad Damasum epistola profitentur se credere Patris & Filii & Spiritus sancti unam deitatem & usum in tribus perfectis hypostasis seu personis. Hos postea imitati sunt Patres Calcedonenis Synodi, Patres Synodi Constantinopolitanæ II. &c. Demum universa secuta est Ecclesia, vocabula per-

personæ & hypostasis in eodem sensu indifferenter usurpans.

Obj. 2. Verus & unus Deus est Pater Christi. Sed tres personæ non sunt Pater Christi. Ergo tres personæ non sunt unus verus Deus. *R.* dist. maj. Unus & verus Deus, sumptus in suppositione inadæquata pro prima persona divina, est Pater Christi, C. maj. Unus & verus Deus, sumptus in suppositione adæquata pro omnibus personis divinis, est Pater Christi, N. maj. & concessa min. dist. cont. Ergo tres personæ non sunt unus verus Deus, sumptus in suppositione inadæquata, C. conf. Sumptus in suppositione adæquata, N. conf.

Obj. 3. Pater, Filius, & Spiritus S. sunt alius, & alius, & alius. Sed Pater, Filius, Spiritus S. sunt Deus. Ergo Deus est alius, & alius, & alius. *R.* dist. maj. Pater, & Filius, & Spiritus S. sunt alius, & alius, & alius ratione personalitatum, C. major. Ratione essentia, N. major. & concessa min. dist. conf. Ergo Deus est alius, & alius, & alius ratione personalitatum, C. conf. Ratione essentia, Neg. conf. Itaque quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres personæ distinctæ, verus Deus, quamvis unus ratione essentia, est tres personæ realiter distinctæ.

Obj. 4. Tres personæ divinae sunt tres substantiæ, Ergo sunt tres Dii. Ergo non sunt unus Deus. *R.* Tres personas divinas esse tres substantias relativas, sed identificatas uni essentia & substantia absolutæ, & ita esse tres substantias relativas, habentes unam essentiam, unam substantiam absolutam, unam divinitatem. Unde nego utramque conf.

Obj. 5. Si Pater & Filius sunt unus & idem Deus, unus & idem Deus est genitus, & non est genitus. Falsum conf. Ergo, &c. *Resp.* Unum & eundem Deum, sumptum in suppositione adæquata, esse genitum secundum unam personam, & non esse genitum secundum aliam, seu esse genitum quatenus est filius, & non esse genitum quatenus est pater: quod est verum.

At inquires. Ergo in uno & eodem sunt prædicata contradictoria. *R.* Esse prædicata contradictoria in uno & eodem, qui simul est plures personæ realiter oppositæ & distinctæ. Talis autem est Deus, qui simul est una essentia absoluta, & plures personæ realiter oppositæ.

Obj. 6. Qui nec gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus. Sed tres personæ nec gignunt, nec gignuntur, nec procedunt. Ergo tres personæ non sunt verus Deus, proindeque non sunt unus Deus. *Resp.* neg. min. Nam hæc propositio, Tres personæ non gignunt, nec gignuntur, nec procedunt, est propositio universalis, & æquivalens isti: Omnes personæ non gignunt, nec gignuntur, nec procedunt; quæ æquivalens huic: Nulla persona gignit, nec gignitur, nec procedit: quod est falsum.

Obj. 7. Si in Deo sunt tres personæ, & una essentia, in Deo est quaternitas, non trinitas. *R.* neg. seq. Quia una illa essentia identificatur tribus personis, & sic non facit cum illis numerum. *At inquires.* In Deo erunt tres res relativæ, & una res absoluta. Ergo in Deo erunt quatuor res. Ergo in Deo erit quaternitas, non trinitas. *R.* neg. In Deo tres res relativæ cum re absoluta esse quatuor res; obstat enim identitas rei absolutæ cum tribus rebus relativis.

Obj. 8. Non est una essentia in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Ergo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non sunt unus Deus. *Neg.* ant. *Probabis.* Si esset una essentia in Patre & Filio & Spiritu S. non distinguerentur inter se realiter. *Neg.* seq. *Probabis.* Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Sed Pater, & Filius, & Spiritus S. erunt eadem uni tertio. Ergo erunt idem inter se. Ergo non distinguerentur inter se realiter. *Resp.* dist. maj. Quæ sunt eadem uni tertio finito, & incommunicabili, sunt eadem inter se, C. maj. Quæ sunt ea-

dem uni tertio infinito, & propter infinitam fecunditatem communicabili pluribus realiter oppositis: proindeque realiter distinctis, qualis est essentia divina, N. maj.

Dices. Si est una divinitas in Patre, & Filio, & Spiritu S. valebit hic syllogismus expositivus: Hæc divinitas est Pater: Hæc divinitas est Filius: Ergo Filius est Pater. Ergo, &c. *Resp.* Hunc syllogismum non esse expositivum, nisi specie tenus, & esse re ipsa categoricum: nam medius terminus, nempe hæc divinitas, sic est singularis formaliter, ut sit æquivalenter universalis: quia sic est unica numero divinitas, ut propter fecunditatem sit communicabilis, & communicetur pluribus realiter distinctis. Unde in allato syllogismo medius terminus est capax distributionis, & sic exprimi potest: Quidquid est divinitas, cum ergo non distribuatur: nam falsæ sunt hæc propositiones: Quidquid est divinitas, est Pater: quidquid est divinitas, est Filius: syllogismus non est in forma, & ita non valet conclusio.

Obj. 9. Si Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt unus Deus, simul sunt tres res, & una tantum res. Sed hoc implicat. *R.* Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse simul tres res, & unam tantum rem, non sub eadem, sed sub diversis rationibus: sunt enim tres res ratione personalitatum, & una tantum res ratione essentia, in quo nulla est implicancia.

Quæres utrum mysterium Trinitatis possit cognosci evidenter lumine naturali. *Resp.* Non posse: nam Christus dicit Matth. c. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et ratio est, quia Deus non cognoscitur naturaliter, nisi ex creaturis. Sed creaturæ non ducunt in cognitionem Dei, ut trinus est in personis, sed tantum ut unus est in essentia, eod quod caudentur ab eo per omnipotentiam, quæ una & eadem est in tribus personis. Ergo, &c.

Obj. Naturaliter cognoscimus Deum esse omnipotentem. Sed ad omnipotentiam pertinet Deum posse generare Filium ejusdem secum essentia. Item naturaliter cognoscimus sine consortio & societate non esse perfectam felicitatem. Ergo cum etiam naturaliter cognoscimus Deum esse beatissimum, consequens est naturaliter, etiam cognosci in Deo esse pluralitatem personarum. Item naturaliter notum est, communicare se infinito modo, esse perfectionem infinitam, proindeque Deum non posse ea carere. Ergo naturaliter notum est in Deo unam personam alteri communicare essentiam divinam. Item multi veteres Philosophi mentionem fecerunt mysterii Trinitatis.

Resp. ad 1. neg. min. Nam ad omnipotentiam pertinet tantum, ut Deus possit ad extra producere plura ac plura, & perfectiora ac perfectiora in infinitum. *R. ad 2.* Naturaliter cognosci non posse, quod ad perfectam felicitatem requiratur consortium & societas in ente infinite perfecto. *R. ad 3.* Non esse naturaliter evidens communicationem fieri posse sine divisione naturæ; & ita non est naturaliter evidens, communicationem ad intra esse possibilem. *Ad 4. R.* Philosophos illos notitiam Trinitatis, si quam habuerunt, vel ex traditione fidelium, vel ex lectione librorum sacrorum hausisse.

DISPUTATIO V.

De Processionibus divinis.

ARTICULUS I.

Utrum Filius in divinis procedat à Patre.

Resp. 1. Filius in divinis procedit à Patre. Est de fide. *Prob. 1.* ex Scriptura: nam Filius de se ipso ait Joan. cap. 7. *A me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio enim, quia ab ipso sum, & ipse me misit.* Et cap. 8. *Ego enim*